John-Nadolny.
—from—
Monsignor Rainer
March 2, 19

CALENDARIUM POETICUM

CONTINENS

MOMENTA EX VITA SANCTORUM,

APPLICATIONES ET AXIOMATA.

EXARATA A

M. MISSI ET A. OBERKOFLER,

PRESBYTERIS DIOECESEOS TRIDENTINAE,

AUCTORIBUS OPERUM:

„FLORALE POESEOS CHRISTIANAE" ET „MEMORIALE JUBILAEI SACERDOTALIS PAPAE LEONIS XIII".

NOVA EDITIO.

OENIPONTI.

SUMPTIBUS ET TYPIS WAGNERIANIS.

1912.

Approbatur et commendatur.

Ex curia Archiepiscopali Salisburgi
die 2. Aprilis 1890.

J. Haller, Episcopus Adrae
Vicarius Generalis.

Liber cui titulus „*Calendarium poeticum*" approbatur et piae lectioni commendatur ob elegantiam et christianae religionis amorem quibus renidet.

Tridenti e Curia Episcopali
die 12. Aprilis 1890.

† **Eugenius Car.**, Episcopus.

Dem Werke „*Calendarium poeticum*" wird die Approbation des Ordinariates zu Brixen erteilt.

F. B. Ordinariat Brixen
am 16. April 1890.

Friedle, Kanzler.

CELSISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO DOMINO

EUGENIO CAROLO

EPISCOPO TRIDENTINO AC PRINCIPI, SACRAE THEOLOGIAE DOCTORI,

PATRONO COLENDISSIMO
IN SIGNUM FILIALIS DEVOTIONIS

DEDICANT

hoc opusculum, velut obsequium ab Ecclesia militante exhibitum Ecclesiae triumphanti, a qua illa ad sequendum ipsius vitae tenorem per versus memoriales invitatur;

et ut labor hic exiguus uberibus fructibus potiatur, Benedictionem a Te Celsissime et Reverendissime Episcope et Princeps tamquam coelestis benedictionis Auspice enixe deprecantur

AUTORES.

Benevole Lector!

Operarius mercedem conductam laboris sui in fine diei praestolatur. Quo major illa, eo diligentius tempus impendit, ut opus ad finem perducat. Hac mente et perseverantiae sensu omnes ii fuerunt accensi, qui tamquam operarii indefessi laboraverunt in vinea Domini et ideo nacti sunt mercedem, »quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit«. Intuitu hujus mercedis tempus pretiosum et quodvis momentum ejusdem aeternitati aequiparandum, ideoque omni solertia et assiduitate impendendum esse, nemo inficiatur. Unde nulla dies sine linea operis boni nulla hora sine merito est praetereunda. Propterea nunquam ex mentis oculis evanescat, Dominum vineae operariis suis semper esse praesentem. Haec recordatio summopere spiritum instimulat ad pietatem, vires acuit et ad virtutis amorem cor accendit.

In praesenti opusculo varia momenta et motiva nobis proponuntur, quibus ad aeternae patriae desiderium inflammamur, et varia nobis remedia exhibentur, quibus diligenter et prudenter adhibitis recta semper via incedemus, ad eam perveniendi. Admonemur assidue, ut jugiter praesentem habeamus Dominum vineae. In eo ob oculos ponuntur adversarii, quibuscum continua lucta nobis gerenda est, adversitates, quas in via Dei patimur, et pericula, quae nobis et quomodo vitanda, suavitas virtutum, quae sunt excolendae, ut sic Deo, semper auxilium opportunum praestante, tamquam operarii fideles in vinea Domini laboremus et tandem mercedem acquiramus, quam »nec aerugo nec tinea demolitur, nec fures effodiunt, nec furantur«, sed qua fruituri simus in perpetuas aeternitates.

Bulsani die decima quarta mensis Februarii 1890.

Auctores.

Mensis Januarius.

Est anni cursus hic primus janua mensis;
Janua sit vitae, sit via tuta tuae.

Stella Magos duxit, nobis est gratia stella;



Ostendit nobis prompta sequela Deum.

Dies 1. Januarii.

Circumcisio Domini.

Ipse subit legem, qui nulla lege tenetur,
Implet amor legem, lex modo natus amor.
Primitias offert tibi Jesus sanguinis infans,
Quid proin in signum reddis amoris ei?
Quale ministerium Jesus sit nactus in orbe,
Indicat impositum nobile Nomen ei.
Tincta cruore rubent Jesu primordia vitae,
Ultima sic pariter sanguine rubra madent.

Jesu dulce nomen.

Sis pius in Jesum, scateat cor semper amore,
Ejus ter sanctum nomen in ore sonet.
In coelis terrisque simul flectatur et orco
In Jesu sancto nomine quodque genu.
Nomen in auxilium Jesu deposce frequenter,
Praecipue quando sollicitatus eris.
Lux est atque cibus Jesu venerabile nomen,
Jugiter est animae certa medela tuae.
Laudetur Jesus Christus! dic saepe salutans,
Cumque salutaris, dic reverenter: Amen!

Axioma.

Tempus ut omne *bonum* manat de Numine *donum*;
Sub Triadis *cura* viget esse, peracta, *futura*.
Ut Deus, opto *detur*, cursu anni *glorificetur*!

Dies 2. Januarii.

1.

St. Maximus M.

(Daemon hamo piscatoris instructus se capturum jactabat.)

Improbe piscator, quid frustra projicis hamum!
Non capitur piscis Maximus arte levi.

2.

St. Clarus Abbas.

Ludibrio mundum tenuisti, Clare, fugacem,
Ne te ludibrio mundus habere queat.
De tenebris lumen sparsisti, Clare, per orbem,
Nam quid cum tenebris Clarus habere potest?
Diversos coelos stultus sibi quaerit in orbe,
Sed sapiens unum quaerit in arce Dei.

Lamenta damnati.

Fortiter has animas vidi contemnere mundum,
Cujus ego vilis semper amicus eram.
Culpa meam mentem nunquam commissa momordit;
Nunc torquet vermis non moriturus eam.

Axioma.

Vites, *aeternum* meditans, securus *avernum*.
Si poenas *scires*, non has peccator *adires*.

Dies 3. Januarii.

1.

St. Gordius M.

(Minutatim a carnifice conciditur.)

Gordius innumeras voluisset vivere vitas,
Ut queat innumera sic quoque morte mori.

2.

S. Genofeva V.

Percutit innocuam genitrix irata puellam;
Protinus est oculi lumine cassa sui.
Miscet aquis lacrimas lumenque resanat ademtum
Ex oculis matris mox Genofeva suae.

Oratio.

Est Dominus Deus omnipotens, ideoque vereri
Affectu summo cordis oportet eum.
Optimus et dator est, cunctorum fonsque bonorum,
Ipsi corda proin grata referre decet.
Ad vitam duplicem nobis sunt plura necesse,
Quae Deus ad nostras vota precesque dabit.

Axioma.

Si bene *pulsatur*, tunc janua mox *reseratur*.
Ad sedes *almas* qui jussit tendere *palmas*
Atque preces *vitae* decursu fundere *rite*,
Aures non *claudit*, sed fletus supplicis *audit*,
Et placidum *menti* se praebet dona *petenti*.

Dies 4. Januarii.

St. Simeon Stylita.

Nomen ab effectu trahis atque Stylita vocaris;
Nemo tuum assequitur, magne Stylita, stylum.

Sententia moralis.

Daemonibus similis fieri per crimen abhorre,
Aut tamquam socius sollicitare bonos.
Sis bonus et purus, docilis, pius, Angelus esto,
Si tibi sunt vires, fratribus affer opem.
Tutorem venerare tuum, pareque monenti,
Robur et auxilium corde precare pio.

Axioma.

Luxuriat *vitis*, nisi falce putare *velitis;*
Cor nequam *ne sit*, non mortificatio *desit!*

Dies 5. Januarii.

St. Eduardus.

(Rex Angliae, Virgo et Maritus, leprosum templo humeris illatum sanat. Annulum dedit Joanni Apostolo in persona pauperis, ipsi apparenti, quem Sanctus ipsi reddidit cum nuntio mortis.)

I.

Rex humeris miserum portat regalibus irum;
Rex nullus tulerit majus amoris onus.
Grata fuere tamen superis spectacula visu,
Cumque lepram sanat, mundus et ipse stupet.

II.

Annulus aeternos Eduardo nuntiat annos,
Redditus a sancto — nempe Joanne — sibi.

Praecipua bona opera.

Actus praecipuos operum primosque bonorum
Omnes doctores tres numerare solent;
Suntque preces, eleemosynae, jejunia sacra;
Haec homo sollicita sedulitate colat.

Axioma.

Quando vides *flentem*, te praebe *commiserentem*.
Qui placidae *mentis* miserescit semper *egentis*,
Retribuent *almas* clementi sidera *palmas*.

Dies 6. Januarii.

Epiphania.

Mittit ab excelsis Deus admirabile sidus,
Qualiter antiquus verba propheta dedit.
Haec populis Orientis ubi nova stella coruscat,
Judaeae terram mox abiere Magi.

Quando perveniunt neonati Regis ad antrum
Firmiter in coelo pendula stella manet;
Intrantesque vident puerum cum Virgine matre,
Et genibus flexis mox venerantur eum.

Thesaurisque suis prolatis munera Nato
Aurum, myrrham, thus ex Oriente ferunt.
Rex, Deus est et homo, colitur sic triplice dono,
Aurum cum myrrha, rex homo, thure Deus.

Perseverantia.

Nec caepisse juvat, nec continuasse decorat,
Sed complesse bono fine coronat opus.

Axioma.

Absque Deo *mentes* sunt coeli lucis *egentes*;
Aeternum *spernunt*, nil vero lumine *cernunt*;
Praebetur *vanis* a coecis cultus *inanis*.
Aeternae *noctis* nox haec praesagia *doctis*.

Dies 7. Januarii.

1.

St. Raymundus E.

Palliolum tua navis erat, tua vela galerus,
   Flaminis aetherei gratia ventus erat,
Anchora spes, malusque fides, oratio remus,
   Et cynosura Dei gloria, rector amor.

2.

St. Lucianus M.

Vix duodennis erat, sua quum dispersit egenis;
   Hinc puer est mundo mortuus ante necem.
Carcere detentus, quum sacrificare nequiret,
   Sacra super pectus fecerat ipse suum.
Sic altare Dei, sic victima sicque sacerdos
   Ipse fuit, gladio quum perimendus erat.

De Sanctissimo Sacramento.

Sacrum mysterium reliquis sublimius, atque
   Sanctius et majus jure vocare decet.
Est fructus vitae, Paradisus deliciarum,
   Angelicus panis dulceque manna latens;
Laetitiae superis, arcana latentia coeli,
   Et quae terrigenis non licet ore loqui;
Ignis consumens, animae nutritio suavis;
   Vita beata bonis, morsque tremenda malis.

Axioma.

Qui miseros *spernunt*, sibi callem ad tartara *sternunt*;
Judicis ante *forum* non est miserator *eorum*.

Dies 8. Januarii.

1.

St. Severinus Abbas.

Una salus vobis, si jejunabitis, inquis;
Sic hostem, non vos, debilitatis, ais.

2.

St. Laurentius Justinianus.

Coeli thesauros Laurentius emit, egenis
Distribuens terrae deperitura bona.

Eleemosinae.

Janitor est pauper coeli, quem reddere faustum
Hic opibus debes divitiisque tuis.
Quas Christi causa miseris donabis egenis,
His tibi perpetuas conciliabis opes.

Axioma.

Ut *civis, si vis, dives* super aethera *vives*,
Quando stipis *rivus* pius es pro paupere *vivus;*
His tibi res *emis* coeli, quas hic tibi *demis*.

Dies 9. Januarii.

St. Macra Virgo et Martyr.

Volveris in testis — pro Christi nomine — martyr,
Testatam pulchre quis neget esse fidem?

Sola fides interna non sufficit.

Mortua corpora sunt, anima nisi vivificentur,
Sicque fides nihil est, ni generarit opus.
Mortua sub modio lux est; sic tecta sub imo
Corde fides nihil est, ni sit in ore simul.
Esto fides in corde tenax et vivat in actu,
Ore sonet, quamvis mors toleranda foret.

Axioma.

Fit granum *bellum* per verbera perque *flagellum*;
Verbere corda *crucis* veniunt ad limina *lucis*.

Dies 10. Januarii.

St. Abundantia Virgo.

Post mortem patris sua mox donavit egenis,
Sufficit ipsa sibi, si bene nomen habet.

Ne spernas pauperem.

Nunquam pauperiem spernas et debilitatem,
Hac te posset enim plectere sorte Deus.
Par est omnis homo tibi quamvis pauper egensque;
Ditior esse potes, dignior esse nequis.

Axioma.

O dives, *dives*, non omni tempore *vives!*
Quid prosunt *fundi*, vel quid possessio *mundi*,
Si finis *rerum*, si adventat meta *dierum?*
Omnia mors *tollit*, quam nulla potentia *mollit*.

Dies 11. Januarii.

St. Marcella Vidua.

Omnis vita tua est tantum meditatio mortis,
Vita tua est tua mors, mors tua vita tibi.

Memento mori.

Mors est certa, nihil tamen est incertius hora,
Te monet hinc quaevis hora: memento mori!
Mors est certa, modus tamen est incertus, ubique
Funestae mortis tela parata latent.
Omnia mors aufert, mors dissecat omne ligamen,
Acclamantque tibi cuncta: memento mori!
Quando minus reputas, te mors inopina prehendet,
Mente proinde tene verba: memento mori!
Scire nihil mortis tempus prodesset et horam,
Ni moneare gravi voce: memento mori!

Axioma.

Esse, fuisse, *fore*: tria florida sunt sine *flore*;
Quod fuit, est et *erit*, morte fugace *perit*.

Dies 12. Januarii.

St. Arcadius M.

(Mutilatus triumphat.)

Falleris, impietas! nam currit in aethera Martyr
Absque pede et palmas colliget absque manu.

Adplicatio moralis.

Quidquid in orbe mali, quidquid perferre molesti
Cogeris, haec animo sunt toleranda bono;
Temporis hujus enim quid sunt mala cuncta crucesque,
Si reputas coeli gaudia magna nimis?
Non capit illa fides, nec spes sibi fingit amoena
Gaudia coelorum, nec sapit ullus amor.

Axioma.

Est via scala *crucis*, ducens ad limina *lucis*,
Hostis plena *minis* lapidosa et consita *spinis*.

Dies 13. Januarii.

St. Clemens Ancyranus E. M.

Clemens in poenis vult omnem ducere vitam;
Ut bene semper agat, vult mala multa pati.

Applicatio moralis.

Sit tibi cara fides, tua sit sententia constans,
Sicut apostolico semper in ore fuit;
»Nil aliud mihi sit, quam crux mea gloria Christi,
Omne mei cordis sit decus illa mihi«.

Axioma.

Tecum sit, *cura*, vincens patientia *dura;*
Est placidi *vultus*, inter — tranquilla — *tumultus*,
Promta pati, *fortis* non horret vincula *mortis*,
Nullis fracta *malis*, ad coelos cor vehit *alis*.

Dies 14. Januarii.

St. Hilarius E. D. E.

Malleus haereseos, tribulatus, nullibi victus,
Impavidus reprobos pandit ubique dolos.

Sententia moralis.

Crebras funde preces, ut gens incredula lumen
Accipiat fidei notitiamque Dei,
Haeretici properent, dura cervice repulsa,
Ad matris nostrae sponte redire sinum.

Axioma.

Si non viva *fides,* tunc non in Numine *fides*;
Firmiter at *fides*, si tibi viva *fides.*

Dies 15. Januarii.

1.

St. Paulus Eremita.

Obsequium famulare tibi praestantibus, ipsis
Vidimus ingenium mitius esse feris.
Desinit esse rapax, te, Paule, superstite, corvus,
Desinit esse ferox, te moriente, leo.

2.

St. Maurus Abbas.

Maure! per attonitas sicco pede laberis undas;
Te probat haec levitas moribus esse gravem.

Sententia moralis.

Respue thesauros, quos mors depascit et aufert;
Quaere tibi potius non peritura bona.
„Jam satis est!“ nunquam dicit sitibunda cupido,
Quo plus potantur, plus sitiuntur aquae.

Axioma.

Ne cor amor *fundi* vitiet, nec gloria *mundi;*
Non subeat *limen* nummi insatiabile *crimen!*
Si studeas *nummis*, praefers mox infima *summis.*

Dies 16. Januarii.

St. Marcellus P. M.

Pontificem pecori dum rex praefecit alendo,
Pastoris functum munere rite probat.

Sententia moralis.

Te dilecta parens Ecclesia sumsit in ulnas,
Teque velut natum nutrit amatque suum.
Jugiter hinc satagas pro tanto matris amore,
Gaudia cum grato jungere corde tuo.
Nil sunt divitiae, pretiosa monilia nil sunt,
Si fidei donum mens reputare velit.
Sed fidei donum splendescere debet in actu,
Nec valet in solo corde reclusa fides.

Axioma.

Rex condit *legem*, conservat lex data *regem*,
Si lex est *Regis* supremi regula *legis*,
Et cunctis *rite* lex est directio *vitae*.

Dies 17. Januarii.

St. Antonius Abbas.

Antonium magnum dico, cui tartara cedunt,
Sumit in arma crucem; tartara terret ea.

Sententia moralis.

Gratia ne fidei sanctae te deserat unquam,
Grato corde memor jugiter esto Dei.
Te Trinitas fecit, salvavit, sanctificavit,
Pro quibus esto bonis gratus eamque cole.
Saepe recorderis, quae tunc tua vota fuerunt,
Quando baptismi flumine lotus eras.

Axioma.

Quisquis amas *mundum*, tibi prospice, quo sit *eundum*;
Est via, qua *vadis*, via pessima plenaque *cladis*.

Dies 18. Januarii.

1.

Festum Cathedrae S. Petri.

Stat super hanc petram constans Ecclesia Christi,
Nam Petrum Christus praecipit esse petram.

Applicatio moralis.

Romae Clavigerum reverenter dilige Papam,
Ac veluti patri subditus esto tuo.
Ne positum reputes hunc a mortalibus esse,
Sed Deus elegit munus ad istud eum.

2.

S. Prisca V. et M.

Priscam Prisca fidem Virgo caesa ense tuetur;
Non curat priscam jam nova secta fidem.

Applicatio moralis.

Prisca, memento! fides in mortis agone probatur,
Quum melius verum quisque videre valet.
Tunc tremit injustus, fidei qui dogmata risit,
Tunc in pace cubans illa secutus obit.

Axioma.

Sancta fides *rite* vivit, si regula *vitae*
Dirigit et *mentes*, Summi mandata *sequentes*.

Dies 19. Januarii.

1.

S. Canutus, rex Daniae et Martyr.

Omnia donavit Christo rex iste Danorum,
Imperium, vitam, quis dare plura queat?

Applicatio moralis.

Christus servavit sibi nec de sanguine guttam,
Sic sibi nil servans assimilatur ei.

2.

S. Pontius M.

(Sine noxa calcat pedibus ignem.)

Ludenti medios nuda tibi calce per ignes
Non pyra, sed potius flamma pyropus erat.
Dissimilem, similemve Petro te dixero, Martyr
Alter enim flammas calcat et alter aquas.

Sententia moralis.

Suaviter ille volat, quem coeli gratia portat,
Qua sine per scopulos raptus inopsque ruit;
Sic per aquas graditur, sic ambulat ille per ignes,
Quem nec culpa gravat, nec malus urit amor.

Axioma.

Picta nitet *miris* in nube coloribus *iris*,
Efficit esse *rosam*, quae ros est, sol *speciosam*:
Gratia sic *mentes* collustrat diva *sequentes*.

Dies 20. Januarii.

S. Sebastianus Martyr.

More licet volucrum patiatur vulnera Martyr,
Dissimiles ineunt Martyr avisque vias.
Cuspide dum petitur, coelo delabitur ales,
Ad coelum fixus cuspide Martyr abit.

Adplicatio moralis.

Quisquis virtutis duros aridosque labores
Vicerit, ad coeli regna beata volat;
At, qui desidiam luxumque sequetur inertem,
Devolat ad nigrae tetra barathra stygis.

Axioma.

Ut ver in *mundo* nunquam facit unica *hirundo*;
Sanctum non *actus* facit unus perbene *factus*.

Dies 21. Januarii.

S. Agnes V. et M.

Quam nec flamma vorax nec proximus ignis adedit,
Hostia carnificis concidit icta manu.
Clarius occideret flammis rutilantibus Agnes,
Saucia sed cultro debuit Agna mori.

Doctrina moralis.

Dilige prae reliquis virtutibus esse pudicum,
Corpore non solum, sed quoque mente tua:
Imo vel in verbis, in gestibus interiusque,
Quidquid mens hominis cogitat atque cupit.
Denique sit quaevis occasio prava remota,
Unde pudicitiae gemma perire queat.

Axioma.

Spiritus inde *perit*, dum corpus mollia *quaerit*;
Esse solet *raro* pulchra pudica *caro*.

Dies 22. Januarii.

S. Anastasius M.

Cosroa Anastasium parvum facit ense, quid inde?
Magnus Anastasius nil minus ille manet.
Cosroa Anastasio frustra caput abstulit ense:
Ipse caput retinet, stat cui vera fides.

Sententia moralis.

Omnia vincit amor, tormenta, flagella crucemque
Ignes et gladios interitusque minas.
Si te verus amor penetrat, tribulatio nulla,
Crux et mors animam frangere nulla valet.

Axioma.

Qui mundum *poscit*, non hic coelestia *noscit*;
Haud bibit alta *poli*, qui sitit ima *soli*.

Dies 23. Januarii.

1.

S. Emerentiana V. et M.

Ad sacrum Agnetis cadit hostia caesa sepulchrum;
Baptizata suo sanguine Virgo fuit.
Communes quibus una dedit nutricula cunas,
His quoque communis debuit urna dari.

Doctrina dogmatica.

Qui dederit vitam fidei pro luce Deoque,
Profusoque suo sanguine firmat eam;
Dicitur hoc merito baptisma cruoris, eoque
Tamquam lotus aqua, justificatur homo.

2.

S. Raimundus de Pennaforte C.

Raimundus mundus docuit contemnere mundum,
In mundo immundo mundus et ipse fuit.

Doctrina moralis.

Ne te decipiat mundus, nec polluat unquam,
Illecebras ejus deliciasque fuge.

Axioma.

Mundus non mundus dici vere *meritatur*,
Mundus amans mundum cum mundo *commaculatur*,
Non mundus, mundus quando incipit esse, *vocatur*,
Sed mundus mundus Paradisi voce *notatur*.

Dies 24. Januarii.

S. Timotheus Episc. et M.

Timothi, cur persequeris simulacra Dianae?
Nulla Diana Deum, quem mihi Virgo parit.,

Doctrina dogmatica.

Mater jure Dei celebratur Virgo Maria,
Quam colit in toto grex pius orbe Dei.
Jesum, qui Deus est et homo formatus in ipsa,
Parturiit, salva virginitate sua.

Axioma.

Vaeh tulit illud „*Ave*", Gabrielis ab ore ***suave***,
Quod culpa *saeva* toto orbi immiscuit ***Eva***.

Dies 25. Januarii.

Conversio S. Pauli.

Quem tu persequeris, sequitur; quem spernis, ab illo
Sterneris; insidias cui struis, inde ruis.

Applicatio moralis.

Saepe tibi veniunt inopino tristia casu,
Quae reprimunt animum, teque timore replent.
Fulmina de coelis haec sunt, quibus admonearis,
Plangere contrito crimina corde tua.
Vox sunt de coelis clamantis: Desine bellum
Ferre Deo, pravas cede meare vias.

Axioma.

Si timeas *bellum*, facias cum carne *duellum;*
Pax in corde *perit,* dominatum si caro *quaerit.*

Dies 26. Januarii.

S. Polycarpus E. et M.

Quid Polycarpe mali tibi fecit Marcion iste,
Ut primogenitum daemonis esse putes?
Non me sed Christum sicut satan odit iniquus,
Hinc primogenitum daemonis esse reor.

Applicatio moralis.

Felix, cui zelus Domini sua devorat ossa,
Nil in eo posthac, quod voret orcus, erit.
Si quis amat Christum, zelat pro nomine Christi,
Ad nullum tepidus tendit amoris opus.

Axioma.

Daemonis ecce *dolum* quit mens evadere *solum*,
Quae pia vota *litat*, praevisa pericula *vitat*,
Se Christo *credit*, nec ab ipso caeca *recedit*.

Dies 27. Januarii.

S. Joannes Chrysostomus Ep.

Aureus orator fuit, aurea verba fuere;
Et tamen hoc aurum nullus avarus amat.

Applicatio moralis.

Est, mihi crede! Dei verbum pretiosius auro,
Illo namque tibi regna beata paras.
Qui cupit, ut lucrum sibi concio praebeat amplum,
Audiat attenta mente, nec esto vagus,
Quae sibi dicuntur, sibi dicta putato sibique
Non aliis tribuat, fructificentque sibi.
Doctrinis parere sacris sit firma voluntas,
Assiduum studium, cura laborque suus.

Axioma.

Non opus est *vanum*, qui spargit fertile *granum*;
Gaudens arva *metit*, qui terrae semina *reddit.*
Ut semen *menti* sacra verba reconde *colenti!*
Coeli — post *luctus* — exceptant horrea *fructus.*

Dies 28. Januarii.

S. Jacobus Anachoreta poenitens.

Hic postquam cecidit, virtutis ad ardua nitens,
Ditior efficitur per sua damna senex.

Applicatio moralis.

Qui redit ad Dominum, quem per delicta reliquit,
Coelestemque dolet deseruisse Patrem,
Confessusque studet laesum per crimen honorem
Compensare Deo: poenitet iste satis.

Axioma.

Hic maculas *tergit*, qui plangere crimina *pergit*;
Se mutare *solet*, qui malefacta *dolet*.

Dies 29. Januarii.

S. Franciscus Sales. Ep. et Dr. E.

Sal terrae quamvis expers es acore Salesi,
Es pius et te nil suavius esse potest.

Applicatio moralis.

Mitibus obtinget tellus habitanda, beati,
Terra quibus dabitur, pax cui limes erit.
Vivere si laetus cupias in pace quietus,
Lites et rixas, jurgia valde fuge.

Axioma.

Plus probo *thesaurum* docti, quam divitis *aurum*;
Gratia fit *pluris*, quam tota scientia *juris*.

Dies 30. Januarii.

S. Martina V. et M.

Ardua Martinae tormenta et multa fuere;
Verbera, testa, faces, bestia, mucro, fames;
Lac de vulneribus manavit virginis album,
Laureolas niveus congeminavit amor.

Applicatio moralis.

Non est discipulus Christi, qui ferre recusat
Quamlibet Ipsius semper amore crucem.
Multi martyrium pro Christo concupierunt;
Non nisi verus amor talia vota creat.

Axioma.

Non mundi *cures* gazas acquirere *plures!*
Non satiant *mentes*, semper majora *petentes*;
Mors gazas *tollit*, quam nulla potentia *mollit*.
Collige *thesaurum*, qui gemmas vincit et *aurum*;
Hic coelum *praestat*, qui post tua funera *restat*.

Dies 31. Januarii.

S. Petrus Nolascus C.

Nomine Petrus erat, sed non erat omine Petrus,
  Non Petra, sed cera mollior ipse fuit.
Multos captivos captus pietate redemit,
  Quam paucos tales fert modo terra Petros.

Applicatio moralis.

Immenso Jesus pretio te sanguinis emit;
  Fratribus hoc aliqua parte repende tuis.
Vult dare vultque dari Jesus, dare dantibus olim
  In regno spondet grandia dona suo.
Ne sua captivis solatia subtrahe, quondam
  Tu quoque vinctus eras sub ditione stygis.

Axioma.

Se prodat *dignis* fratris dilectio *signis*,
Fastum *detestans*, cunctis et munera *praestans*,
Non miseros *ludens*, spargens donaria *prudens*.

Mensis Februarius.

Iste secundus erit mensis Februarius anni,
Hinc februet mentem februus ipse tuam!

Cernere quem Patres, quem concupiere Prophetae,



Lumine tu fidei cernis habesque simul.

Dies 1. Februarii.

S. Ignatius Ep. Antiochensis M.

Ignati, tu jure trahis tibi nomen ab igne;
Ultima vox Jesu, dum morereris, erat.
Magnus Alexander vincendo meretur honorem;
Dentibus en partus victor eras moriens.

Ignis amoris.

Ignem salvificum Jesus immisit in orbem,
Ardet et ardorem spargit ubique suum.
Hoc voluit Jesus, ut succendatur et urat
Orbis, et ex animo ferveat omnis homo.
Ignis hic est Deitatis amor fratrisque vicissim,
Ni regat hic mundum, mundus avernus erit.
Hinc reges populi studeant, ut amore calescant,
Ex fidei Christi fonte fluente sacro.
Hinc ideo satagant Christi defendere sponsam,
Isto quae populos igne flagrare docet.

Axioma.

Si flammis *puris* amor almus pectus *aduris*,
Ardens quae *laedit*, mox corde libido *recedit*.
Flammis *indignis* scelerum quos corripit *ignis*,
Hos teget ut *vestis* functos Vulcania *pestis*.

Dies 2. Februarii.

Purificatio B. Mariae Virginis.

Anna parens peperit puram sine labibus agnam,
Agnellum purum labe Maria parit.
Placandis superis offertur et agnus et agna;
Mitigat haec iram, tollit at ille Dei.

Sententia moralis.

Quisquis Evangelii non vivit lumine ductus,
Ambulat in tenebris, in foveamque cadit;
Quamque neoterici per mundum spargere tentant,
Ducit ad aeternas lux Acherontis aquas.
Lux est in mundo, lucet radiatque per orbem,
Huicne tuos oculos non aperire voles?
Lux non lucet ei, quem non Ecclesia ducit,
Inque suo tenero non fovet ipsa sinu.
Hac a luce miser se longe subtrahit ille,
Ejus qui legi subditus esse negat.

Axiomata.

Non illi *dici* dignantur lucis *amici*,
Qui verbum *Christi* spernunt caligine *tristi*.

Os in corde suo sapiens abscondere *quaerit*,
Stultus in ore suo dum cor in ore *gerit*.

Dies 3. Februarii.

S. Blasius E. M.

Haeserat in tenerae mala gutture spina puellae,
Quam precibus calidis Blasius inde fugat.
Sic aliena pius servavit colla, sed ipse
Propria pro Christo colla secanda dedit.

Mala gutturis.

Quam crebro veniunt ex gutture verba maligna,
Quae cultum violant dedecorantque Dei!
Nempe Dei nomen blasphemus laedit iniquus,
Illud quem temero conspuit ore suo.
Electosque Dei cum sancta Religione
Impius insanis impetit opprobriis,
Et si nec juste nec vere jurat et absque
Consilio, nomen privat honore Dei.
Si Domino votum vovit, quod postea frangit,
Et sua facta Deo reddere vota negat.
Unde Propheta patens guttur vocat ipse sepulchrum,
A quo cor pravum sensa maligna vomit.

Axioma.

Incurrit *diram* rixans in judicis *iram;*
Lingua qui *rodit* confratres, hunc Deus *odit.*
Quas odium *diras* parit, has amor eruit, *iras;*
Quem regit iste *virum*, fit mitis pectore *mirum.*

Dies 4. Februarii.

S. Andreas Corsinus E.

Post lapsum Andreas in coelo gaudia fecit;
Agnus fit juvenis, qui lupus ante fuit.
Illusere piam fallacia somnia matrem,
Ille fuit pastor, quem putat esse lupum.

Conversio peccatoris.

Irrequieta gemit mens commaculata reatu,
A summoque bono se videt esse procul.
Huncque statum miserum non longius esse ferendum
Computat et regredi percupit absque mora.
Hos animi sensus tamen inserit atque reducit
Gratia, dans lumen, dans quoque velle simul.
Hoc ubi mox lumen sequitur motumque secundat,
Jucunda poterit denique pace frui.
Sicut ovem gaudens inventam suscipit ipsum,
Coelicolisque Deus jubila magna parit.

Axioma.

Si juvenis *mores* vitiat, de pectore *flores*
Virtutum *vellit*, si quae sunt recta *repellit*,
Quando manet *talis* perversus homoque *feralis*,
Ejus erit *fructus* perpes post funera *luctus*.

Dies 5. Februarii.

S. Agatha V. M.

Mutavit natura fidem, prius alma liquorem
Mamma dabat niveum, dat modo mamma rubrum;
Nam Christo gnatas soboles non lacte parentis,
Sanguine sed fuso Martyris optat ali.

Ss. Eucharestia.

Mater alit sobolem dilectam lacte mamillae,
Hoc non parvus amor perficit unus opus.
Quantus amor Christi propria qui carne redemptos
Atque cruore simul pascit alitque suos.
Lac est ad vitam servandam corporis esca,
Aeternam Christi nutrit alitque caro.
Anne fames non magna tibi pro carnibus istis?
An non pro Christi sanguine magna sitis?

Ss. Eucharestia.

Abstrahit a *vanis* divinus pectora *panis;*
Hic divus *pastus* refringit daemonis *astus;*
Motus *compescit,* comedentis gratia *crescit;*
Est pugnis *ortis* mentis defensio *fortis;*
Est fidei *scutum,* cor reddit crimine *tutum;*
Est requies *mentis,* lux est aeterna *petentis.*

Dies 6. Februarii.

S. Dorothea V. M.

Elisiis Dorothea rosas transmittit ab hortis.
Thejophilo, quas non depopulatur hyems.
Laetus hic aethereis donis idola relinquit;
»Nolo dehinc flores, ipsa roseta volo«.

Doctrina moralis.

A Christo nihil est, quod nos separare valebit,
Si calet in nostro pectore verus amor.
Hic creat heroes, quos nulla potentia frangit,
Nec stygis insidiae vincere fraude valent.

Axioma.

Quae fugiunt *fastum*, quae spernunt, qui tumet, *astum*,
Evitant *illae* mentes tot retia *mille*,
Ad cordis *postes* quae tendunt luminis *hostes*.

Dies 7. Februarii.

S. Romualdus Abbas.

(Fundator ordinis Camaldulensis vidit scalam a terra ad coelum pertingentem.)

Scala necesse tibi non est, qua sidera scandas,
Ecce volans alia tendis in astra via.
Ista necesse tuae est turbae, dum repit ad astra;
Scandit ad aethereas fulta caterva plagas.

Doctrina moralis.

Nos orare monet Jesus simul et vigilare;
Detegit hoc furem, sed fugat illud eum.
Assiduis precibus miscens jejunia certe
Daemonis insultus reprimis atque dolos.

Axioma.

Quae vires *tollit*, quae torpens corpora *mollit*,
Desit vita *levis*, languens et inertia *quaevis*!

Dies 8. Februarii.

S. Joannes de Matha C.

Non Matham, potius Martham te dicere possum,
Nam de captivis cura erat una tibi.
Aurea libertas! hanc multis ante dedisti;
Aurea jam merces est data jure tibi.

Applicatio moralis.

Captivum retinet dominus crudelis et atrox,
Quem gravis accusat culpa reumque facit.
Disrumpit misero Jesus bonus Ipse catenas,
Si plangens culpam se dolet esse reum.

S. Marina V.

(Cum veste viri nomen induit; calumniata est, esse patrem cujusdam infantis.)

Ex natura parens te fecerat esse puellam,
Mascula te virtus fecerat esse virum.
Adscriptam prolem nutris, quasi sis pater ejus.
Ecce pater, mater, virgo Marina fuit.

Sententia moralis.

Saepe reflecte: quid es, fueras, quid erisque futurus;
Nil sum nilque fui; quum quid ero, quid ero?

Axioma.

Ut tua sit, *cùra*, mens omni tempore *pura*,
Et sedes *cordis* peccati libera *sordis!*
Nam quodvis *crimen* praecludit ad aethera *limen.*

Dies 9. Februarii.

S. Apollonia V. et M.

Praelia, Virgo, tuis certant Samsonia, Samson
Maxilla, sed tu praelia dente geris.
Dentibus es medicastra potens pia Virgo malignis.
Mercedem debet solvere lingua piam.

Sententiae morales.

Quod natura fugit, quod sensus ferre pavescit,
Firma fides et amor non tolerare timet.
Ne metuas dura pro Christo morte perire,
Hac tibi coelorum janua lata patet.
Tolle crucem, tormenta feras sine murmure dira,
Ut mala devites non toleranda stygis.

Axioma.

Noli *confundi* misera dulcedine *mundi;*
Nam sua *dulcedo* dilabitur ordine *foedo,*
Ejus erit *fructus* perpes post funera *luctus.*

Dies 10. Februarii.

St. Scholastica V.

Nomine non solo, re Virgo Scholastica vera,
Nil sua *virtutis* quam schola vita *fuit.*

Sententia moralis.

Demissos servat Dominus spernitque superbos,
Despicit eximios, respicit exiguos.
Sis humilis, quisquis fieri cupis incola coeli;
Fastus tartareis excruciatur aquis.

Axioma.

Conculca mundi *fastum*, tentantis et *astum;*
Flammis *indignis* pectus non ardeat *ignis;*
Curas *terrenas* magno cruciamine *plenas*
Funditus *expellas*, vitiorum germina *vellas!*
Victor sic *factus* superis celebrabitur *actus.*

Dies 11. Februarii.

St. Desiderius E. M.

(Lapidibus obruitur.)

Crimine Pronchildis vetita fugis exul ab aula,
  Et sceleris purus post lapidatus obis.
Sed tibi structuram lapides fecere celebrem,
  Et stabilem coelo constituere locum.

Applicatio moralis.

Rebus in adversis, et quum tentaris, in orbe
  Te peregrinari jugiter esto memor.
Tendimus in coelum, quo Christus praevius ivit;
  Ista perennis erit patria, nostra quies,
Splendida Christus ubi nobis habitacula condet,
  Ut sic discipuli sint, ubi Christus erit.

Axioma.

Gratia *regalis* vix unquam *perpetualis;*
Gratia de *coelis* est semper ubique *fidelis.*

Dies 12. Februarii.

St. Victoria V. M.

Gloria laus et honor tibi sit, Victoria Virgo!
Non tu victricis nomen inane geris.

Applicatio moralis.

Respue delicias, et delectamina mundi,
Sint labor atque preces parsque calixque tuus;
Sic poteris pravos affectus, carne subacta,
Vincere cum structis daemonis arte dolis.

Axioma.

Si socius *Christi* vivens patiendo *fuisti*,
Christo junctus *eris* ter felix, si *morieris*.
Praemia tanta *ferunt*, qui passi et quanta *fuerunt*.

Dies 13. Februarii.

St. Jordanus C.

(Dominicanae Religionis Praeses, Hierosolimam tendit, naufragio moritur.)

Ne vestri, ne flete, precor, pia fata parentis;
In medio portum repperit ille mari.
Et ne forte senem terris via longa fatiget,
Ocior aequorea tendit in astra via.

Applicatio moralis.

Quum genus et tempus mortis non sit tibi notum,
Ad mortem promptus jugiter esse stude.
Qualis erit tua mors? hoc te perquire frequenter,
Talis erit, qualem vita peracta dabit.

Axioma.

Cuncta ligant *fortis*, quae sunt hic, vincula *mortis*;
Non animum *tangit*, sed quae carnalia, *frangit*.
Quamvis mors — *verum* — res est certissima *rerum*,
Hora latet *mortis*, latitat mutatio *sortis*.

Dies 14. Februarii.

St. Auxentius Abbas.

(Columbae obsequio pascitur.)

Ante niger tulerat Paulo sua prandia corvus;
Fert modo, Dive, tibi fida columba dapes.
Quas prius emisit fluitante Noemus ab arca,
Has hominum famulas esse videmus aves.

Applicatio moralis.

Ne nimis ob curas mundanas anxius esto.
Est tibi namque Deus, dives amansque pater.
»Neve serunt volucres, nec in horrea grana reponunt,
Et pater in coelis pabula praebet eis.
Lilia camporum nec nent nec lintea texunt,
Sunt speciosa tamen prae Salomone magis«.
Math. 6. 26.

Axioma.

Cur caro *laetatur*, quae vermibus esca *paratur?*
Cur, quod non *durat*, sibi mens acquirere *curat?*
Cur, quae *labuntur*, fervore a corde *petuntur?*
Res tibi sint *curae*, quae nunquam sunt *periturae!*

Dies 15. Februarii.

Ss. Faustinus et Jovita fratres M. M.

In vinclis fratres constricti, hinc inde trahuntur;
Et tamen a Christo non potuere trahi.

Sententia moralis.

Qui fuerit Christo per amoris vincla ligatus,
Non ab eo poterit daemonis arte trahi.

Si memor es Christi poenarum, taedet amasse
Mundi delicias et malefacta luis.

Axioma.

Divus amor *dignis* cor flammis concremet *ignis!*
Vita dicata *Deo*, crucis et signata *tropaeo*,
Defluat in *factis*, pietatis amore *peractis*.

Dies 16. Februarii.

St. Juliana V. M.

Virgo volens moritur, nam caedua colla tyranno
Tradere, quam sponso malluit illa manus.
Quanta pudicitiae cura est! postponit amantem
Tortori infenso casta puella procum.

Doctrina moralis.

Alma pudicitiae virtus est firma voluntas,
Qua quis ab illicitis abstinet illecebris,
In quibus aut verbis, aut turpia mente volutans,
Aut actis poterit cor maculare suum.

Axioma.

Virginitas *vere* niveae res proxima *cerae:*
Tacta manu *florem* niveum perditque *colorem;*
Ardens *decrescit*, flammis ut cera *liquescit.*

Dies 17. Februarii.

St. Sabinus E.

(Haustus veneni lethalis ipsi non nocuit.)

Nil vobis oberit, si quid lethale bibetis,
  Ad proceres Christus dixerat ante suos.
Dum calici suffusum hauris sine fraude venenum,
  Verum, quod Christus dixerat, esse probas.

Applicatio moralis.

Fide, sed ante vide! qui fidit, nec bene vidit,
  Fallitur. Ergo fide, ne capiare fide!
Fide parum, sed multa vide, nam multa videre
  Saepe juvat. Multum fidere saepe nocet.

Axioma.

Quod serpens *offert* malum, vaeh! quot mala *profert!*
  Morsus morsque *fuit*, quam genus omne *luit.*

Dies 18. Februarii.

St. Simeon E. M.

Non possunt tormenta senes perferre, sed iste
Grandaevus Simeon pro Deo acerba tulit.

Sententia moralis.

Omnes certantes capient in agone bravium,
Si clypeo fidei bella tulere stygi.
Quanto fulgebit speciosa nitore corona
Sanctorum, semper qui coluere fidem.

Axioma.

Si nisi non *esset*, perfectus quilibet *esset;*
Sed non sunt *visi*, qui caruere *nisi.*

Dies 19. Februarii.

St. Conradus Placentinus.

(Ejus adventum, cum Siracusas relictis famulis ad antistitem iret, volucres praenuntiae gratulatae sunt.)

Plurimus adventum celebrat praenuntius ales,
Hospitaque arguto carmine tecta sonant.
Servorum obsequium, sic, dum, Conrade, recusas,
Ipsa tibi famulas silva ministrat aves.

Humilitas.

Mens humilis virtus est, qua quis judicat atque
De se deque suis dotibus aequa sapit,
Nec, prout inflati, de se nimis alta putando,
Magni virtutes autumet esse suas,
Sed potius proprios naevos mendasque frequentes
Agnoscens, semet computat esse nihil.

Axioma.

Est verum *verbum*, frangit Deus omne *superbum;*
Mens humilis *donum* suscipit omne *bonum.*

Dies 20. Februarii.

St. Eucherius, Aurelianensis Episcopus.

(Carolus Martellus, Tudes dictus, varie vexat eum.)

Tudes erat Martellus, erat, qui tunditur, incus,
Saepius in cudem malleus ipse ferit.

Applicatio.

Praeparat excidium regalis et ultima regni,
Quae struit altari dextera dira focos.
Dimicat in proprium quaevis respublica damnum,
Quae contra regnum sumserit arma Dei.

Axioma.

Lex est lux *gentis*, lux est haec regula *mentis;*
Sed bona sit, *Regis* summi sit formula *legis.*

Dies 21. Februarii.

St. Pipinus, dux Brabantiae.

(Ardentes in ejus exsequiis faces nullo vento, licet valido, extinguuntur.)

Ecce faces multae flammis victricibus ardent,
Quas nullo extinxit grandior aura noto.
Perpetua dum luce faces, dux magne, fruuntur,
Signant perpetua te quoque luce frui.

Applicatio moralis.

Lux fidei vivax ad coeli lumina ducit;
At miser in tenebris hac sine luce jacet.
Non venit ad portum fidei sine luce salutis,
Qua sine non poterit namque placere Deo.

Axioma.

Certus amor *regis*, si sit custodia *legis;*
Qui non *custodit* legem, non diligit, *odit*
Se simul et *Christum*, qui non quoque diligit *istum*.

Dies 22. Februarii.

Cathedra St. Petri Antiochiae.

Quando fuit Romam Petri translata cathedra,
Conversis Romam motibus ibat amor.

Applicatio dogmatica.

Dici jure potest Ecclesia nomine matris,
Nos siquidem tamquam sedula mater amat.
Parturiit nempe nos ex baptismatis unda,
Et sic filiolos fecerat esse Dei.

Axioma.

Christi *vinetum* sancta est Ecclesia *laetum.*
Qui grex est *Christi*, nomen dat palmitis *isti.*
Si caedens *demis*, pendet nulla uva *racemis.*
Ut palmes *restet* conjunctus, gratia *praestet.*

Dies 23. Februarii.

St. Margaritha a Cortona.

(Inspecto Domini, quem turpiter amaverat, cadavere, ad se frugemque meliorem rediit.)

Vos, quibus est curae perituram comere formam,
Et croceas lybico pectere dente comam,
Saepius hoc speculum si consuleretis, amantes,
Tunc vitreo vobis nil opus orbe foret.

Doctrina moralis.

Quos tenet in vitiis mala consuetudo sepultos,
Constat adhuc vitam non iniisse novam.
Fortiter est vitii turpis rumpenda catena,
Si cupis a domino liber abire truci.

Axioma.

Non pulchrum *vultum*, sed cor tibi reddito *cultum!*
Sub facie *compta* fit mens ad turpia *prompta.*

Dies 24. Februarii.

S. Mathias Apostolus.

In quem sors cecidit, cecidit cum sorte securis;
Quam felix casus casus uterque fuit!
Sorte tamen prima securior ipse securis,
Quod mox is coelis assereretur, erat.

Applicatio moralis.

Recta mente statum tibi caute selige vitae,
Lumen ad hoc Dominum consiliumque pete.
Qui Domino renuit prompte parere vocanti,
Interitum certum praeparat ipse sibi.

Axioma.

Det Deus, ut *mentes* non Christi luce *carentes*,
Quae sunt vana, *terant*, solum coelestia *quaerant*,
Luce Dei *pendant*, quae sunt, et ad aethera *tendant*.
Vivis, *defunctis* sit lux haec aurea *cunctis*.

Dies 25. Februarii.

S. Romana V.

Vidit ad astra ducem niveam Romana columbam,
Insequiturque suum Virgo columba ducem.

Sententia moralis.

»Non manet in cordis Sapientia mente maligni,
Et vitiis famulans corpus inire negat.
Turpis hypocriseos mentem Paracletus abhorret,
Hanc habitare domum vel redamare nequit.«
Sap. 1. 4. 5.
Flaminis ergo bonis monitis parere memento,
Si tibi prava vetant et bona facta jubent.

Axioma.

Si decus est *morum*, non cures verba *malorum*;
Nobilitas *horum* magis ornat quam *genitorum*.

Dies 26. Februarii.

St. Alexander E.

(Dictus carbonarius.)

Praesul Alexander fit, carbonarius ante,
Ore niger, candens moribus, ater olor.

Sententia.

Quem Deus ad munus quodcunque vocavit opusque,
Aptus et ingenio rite paratus erit.

Axioma.

Velle tuum sit velle meum, dulcissime *Jesus!*
Qui dux et lux es, lex, rex tutamen et *esus:*
Dux ducens *gentes*, lux lustrans astra *petentes*,
Rex dominans *regum*, lex una et regula *legum*,
Es tutor *fortis*, terror stygiaeque *cohortis*,
Cordis amor *dulcis*, qui cor solamine *fulcis*,
Panis de *coelis*, qui nutrit corda *fidelis*.

Dies 27. Februarii.

St. Athanasia.

(A conjuge Andronico profuga, ad eundem ignota et regreditur et moritur.)

Tutius ut visat Solymam, suadente marito,
Mentitum induerat foemina cauta virum.
Atque redux sexum celata viro remanebat;
Morte pii divae sed patuere doli.
Quando pudor securus erit, sat foemina tutam
Si neque cum proprio se putat esse viro?

Sententia moralis.

Effuge sollicite fallacia gaudia mundi,
Et vitam sancta percole mente tuam.
Assiduis precibus miscens jejunia, certe
Daemonis insultus reprimis atque dolos.

Axioma.

Mundanis *carum* nihil est nisi virus *amarum*,
Praebens sub *mellis* dulcedine pocula *fellis*.

Dies 28. Februarii.

St. Romanus M.

Linguax non fueras, sed eras, Romane, disertus,
Laudas, nulla licet sit tibi lingua, Deum.

Sententia.

Quisquis amat, laudat, qui laudat, cantat et optat,
Ut canat omnis homo, laudet ametque Deum.
Vita sit assiduus Deitatis cultus amorque,
Quamvis non oris carmina voce canas;
Sed quoque lingua canat coelique sequatur ovantes
In coelis Domino jubila sancta choros.

Axioma.

In labiis *vere* cor stultus suevit *habere;*
In corde os *celat* sapiens, nec inepta *revelat.*

Mensis Martius.

Sis Mars ipse tibi, gere bella libidinis igni!
Tunc eris infensis victor ubique tuis.

Sicut eras Christi custos et Virginis almae,



Esto modo Christi firma tutela gregis!

Dies 1. Martii.

St. Albinus A.

(Deserens mundum, claustrum ingreditur.)

Mundum debellat fugiens, non aggrediendo;
Exit ab illius prava docente sinu.
Clauditur in cella, quam mundus inire pavescit,
Artis ibi mundi nulla molestat eum.

Applicatio moralis.

Nemo potest pariter praesentibus atque futuris,
Nempe bonis mundi, perpetuisque frui.
Si labor absterret, mercedem respice pactam,
Haec opus, haec animum sola levare solet.

Axioma.

Qui lolium *sevit*, non carpere tritica *suevit;*
Qui mala *commisit*, non coeli gaudia *visit*,
Si non *contritae* flet mentis crimina *vitae.*

Dies 2. Martii.

St. Simplicius E.

Simplicius fueras, cano, non dupplice corde,
Sed tibi non simplex parta corona fuit.

Sententia moralis.

Ne tua sub tenebris peccata patrata latere,
Aut oculum nullum cernere posse putes.
Est oculus penetrans cordis secreta, cuique
Nox tenebraeque magis luce dieque micant;
Et bona cum pravis, mala quot commiseris unquam,
Ante forum venient judiciumque Dei.

Axioma.

Ante Dei *vultum* latitans non restat *inultum*,
Si veniet *magnus* Judex in nubibus *Agnus*.

Dies 3. Martii.

St. Chunegundis Imperatrix uxor St. Henrici Imperatoris.

(Ad tumulum ejus multi reviviscunt.)

Dant aliae, dum vita manet, sua pignora matres;
In vita Virgo, mortua Mater eras.

St. Marinus et st. Asterius Martyres.

Caeditur Asterius, quod humasset Martyris artus;
Hic perimit vivum mortuus ecce virum.

Sententia moralis.

Virgo dicata Deo non infoecunda putetur,
Non mundo prolem sed parit illa Deo.
Attrahit exemplo sectari virginitatem,
Sic coelo proles candida Virgo parit.

Axioma.

Flammis *indignis* pectus non ardeat *ignis;*
Post mortis *morsum* vertit dilectio *dorsum.*

Dies 4. Martii.

St. Casimirus.

(Regius Princeps Poloniae.)

Est casus mirus virgo Casimirus in aula,
Et virgo ut maneat, se voluisse mori.

Applicatio moralis.

Hic labor esto tuus: veraciter esse pudicus,
Corpore non solum, sed quoque mente tua;
Imo vel in verbis, in gestibus, interiusque,
Quidquid mens hominis cogitat atque cupit.
Denique sit quaevis occasio prava remota,
Unde pudicitiae gemma perire queat.

Axioma.

Abjice *foetorem* Veneris, sectare *pudorem!*
Cordis *candorem* perdis perdendo *ruborem.*

Dies 5. Martii.

St. Phocas M.

Ex horto Phocas coeli translatus in hortos,
Qui fuit hic alitor, flos ibi factus erat.

Applicatio moralis.

Fortis odoriferas virtutes excole pulchras,
Exque tuo lolium vellere corde stude!
Flores virtutum coeli plantantur in hortis;
Urendum lolium traditur igne stygi.

Axioma.

Congerit ecce *bonus* sibi grana in messe *colonus*,
Pingui messe *levis* valde est ignavia *quaevis*.

Dies 6. Martii.

St. Victorinus M.

Victorine! tuum pandit tua praelia nomen;
Ut victor fieres, abbreviatus eras.

St. Fridolinus C.

Me Glarona habuit, tumulo Seckinga recondit;
Limagus et Rhenus me pietate colunt.
Mecum ad judicium properavit mortuus Ursus;
Jus tueor. Vaeh! si jura sepulta manent.

Sententia moralis.

Justitiae virtus est, qua quis complet agitque,
Quae fieri debent fratribus atque Deo.

Axioma.

Sis judex *index* juris, de crimine *vindex;*
Justus ni *fueris*, vaeh! miser *ustus eris.*

Dies 7. Martii.

St. Thomas Aquinas D. E.

1.

Plus prece quam studio doctrinam est doctor adeptus.
Est solum doctor, cui bona vita, bonus.
Angelicum Thomam doctorem rite vocari
Ex »Summa« poteris discere: »Summa« docet.

2.

Thomas foemineum satanam titione fugavit,
Scilicet impurum depulit igne focum.

Proverbium, 3. 13—18.

»Ille beatus erit, cujus sapientia mentem
Imbuit et cordis singula sensa regit.
Est opibus multo pretiosior omnibus illa,
Nec magis in votis cor quid habere potest;
Arbor erit vitae, quicumque prehenderit illam,
Terque beatus erit, qui retinebit eam.»

Axioma:

Luxuries *mollis*, vires de corpore *tollis*;
Mille paris *luctus*, tuus est damnatio *fructus*.

Dies 8. Martii.

St. Joannes de Deo C.

1.

Samaritanus is est vere pius atque fidelis;
Si colis hunc, erit et proximus ille tibi.

2.

(Per dimidiam horam inter flammas incendii incolumis versatus est.)

Intus flamma fuit, flagrantior exteriore;
Intus enim fovit fortior esca focum.

Duplex amor.

Rex amor est dupplex, regnum sibi fecit uterque;
Unus seipsum spernit, amatque Deum,
Alter amat solum seipsum Numine spreto:
Hinc sibi continuo bella tremenda gerunt.

Axioma.

Junctus amor *fratris* simul et dilectio *Patris;*
Non amat hic *Christum*, qui non et diligit *istum*,
Qui simul est *emptus* Christique cruore *redemptus*.

Dies 9. Martii.

St. Francisca Romana.

1.

Sancta fidelis erat conjux Francisca marito,
Linquit saepe preces, ut famuletur ei.
Hoc, ait, est prouti pro Jesu linquere Jesum,
Et servire Deo jussa secuta viri.

2.

Curavit morbos, praedixit multa futura;
Cum vino potuit multiplicare dapes;
Servivit Christo, sed serviit Angelus illi,
Sic dominata magis, quam famulata fuit.

Necessitas bonorum operum.

Sunt operum fructus omnino necesse bonorum,
Ut quis percipiat regna beata Dei;
Namque fides operum sine fructu sola bonorum
Est veluti corpus mortua mente carens.
»Non audi tantum, sed fac, in lege quod audis;
Spes auditoris res facientis erit«. Jac. 1. 22.

Axioma.

In coelis *vives*, divino munere *dives*,
Navans *sincere* Christi praecepta *tenere*;
Magni, ne *ignores*, poscuntur saepe *labores*,
Nam vitans *nisum* nunquam rapiet *Paradisum*.

Dies 10. Martii.

S. Quadraginta Martyres.

Quadraginta tulit mors haec truculenta coronas,
Mox ea, quae periit, salva reperta fuit.
Fecit filiolos coeli baptismatis unda,
Fecerat heroes horrida lympha gelu.

Applicatio moralis.

Saepe reflecte, brevi tribulatum tempore, quondam
Felicem nimium te sine fine fore:
Christus ait, coeleste Dei vim poscere regnum,
Quod non quaeque, nisi vis violenta rapit.
Math. 11. 12.

Axioma.

Porta cor est *vitae*, claudas cuncta ostia *rite*
Furibus a *veris*, vitam quicunque *tueris*.

Dies 11. Martii.

St. Pelagia cum Filiis M. M.

(Tutandae pudicitiae causa undas fluminis insiliunt.)

Haec sibi quae nomen pelagi de nomine traxit,
Se salvans lymphas insilit et soboles.

Praecepta moralia.

Esto pudicitiae custos et amator, eamque
Semper ab hostili fraude tuere stygis;
Et fuge, quae carnem flammamque libidinis inflant,
Ad sordesque trahunt luxuriaeque luem.

Axioma.

Quae sordes *spernit*, non hanc mens sordida *cernit*,
Sed sunt *visuri* Deitatem crimine *puri*.

Dies 12. Martii.

St. Gregorius Magnus P.

Orbis in urbe Pater, magnus cognomine Doctor,
 Ac hominum Primas, Papaque Gregorius;
Angelus Anglorum vel Apostolus ille vocatur,
 Infirmus semper fortia semper agens.

Applicatio moralis.

Dilige Pontificem, Pater est tuus atque magister,
 In manibusque suis dona salutis habet,
Datque tuae menti coelestis pabula vitae,
 Ad vitaeque vehit regna perennis eam.
Nec positum reputes hunc a mortalibus esse,
 Sed Deus hoc dignum munere fecit eum.

Axioma.

Redde *creatori*, quod debes ejus *honori!*
Redde *sacerdoti* sacrati munera *voti!*

Dies 13. Martii.

St. Christina V. M.

Te sponsam Christi dignam Christina probasti;
Sanguine scripta fuit syngrapha, robur habet.

Applicatio moralis.

Vult animae Deus ipse tuae se jungere, sicut
Jungere se sponsae sponsus amore solet.
Unio cum Christo tibi sola dat esse beatum,
Qua sine vita datur nulla, nec ulla salus.

Axioma.

Felix, qui *toto* se Christo pectore *voto*
Donat, vana *terens*, vere quae sunt, bona *quaerens;*
Cum dono *Christi* bona quaevis dantur et *isti*.

Dies 14. Martii.

St. Petrus Abbas.

(Ex aegritudine luscus efficitur.)

Luminis alterius tibi morbus ademerat usum;
Dixisti: E geminis hostibus unus abest.
Quaeque mihi superest alia pereunte fenestra,
Claudere erit levior post mea fata labor.

Applicatio moralis.

Corporis est oculus mentis quoque clara fenestra,
Introeunt per eam grandia saepe mala.
Hinc ita custodi solerter utramque fenestram,
Ut bene claudatur porta cuique malo.

Axioma.

Ut visus sensus pernix ut fulmina *nullus*,
Sic hoc et sensus non perniciosior *ullus*.

Dies 15. Martii.

St. Longinus Centurio M.

Ut tetigit sanguis longam delapsus in hastam.
Luminibus clara est protinus orta salus,
Ut solem obtenebras moriens, sic luminis usum
A te Centurio, dum morereris, habet.

Applicatio moralis.

Gratia sancta solet cor pungere saepe repente,
Ut mala cognoscat, corrigat atque fleat.
Qui Domino renuit prompte parere vocanti,
Praeparat interitus hic sibi fata sui.

Axioma.

Gratia si *desit*, si non prudentia *praesit*,
Noxia qui *quaesit*, mens mundo tristis *adhaesit*,
Crimen cor *laesit*, pejor res, nescio, *quae sit*.

Dies 16. Martii.

St. Abrahamus Eremita.

(Mariam neptem suam e turpi fuga et vita ad eremum et conversionem reducit.)

Unguibus accipitris fugitiva rapacibus haesit,
Inveniens ipsam liberat arte senex.
Ad veterem revolans primaeva columba Noemum,
Assiduos gemuit moesta columba dies.

Applicatio moralis.

Luxuriam generant vestes habitusque protervi,
Otia, mollities, blanda loquela mali,
Ebrietas, ususque cibi nimis immoderatus,
Et petulans oculus, foeda videre volens,
Consuetudo nimis diversi libera sexus,
Obscoenosque mala volvere mente libros.

Axioma.

Cor hominis *captant* duo fures et duo *raptant*,
Vina Venus *fures* sunt, ut fugias cito, *cures*.

Dies 17. Martii.

St. Patritius Ep. et C.

Barbara pyramidum sileat miracula memphis,
Cumque tuis spathulis magne Galene tace!
Patritius fecit miracula maxima; nemo
Haec, nemo stellas enumerare potest.

Doctrina moralis.

Mens humilis reprobat fastum sensumque superbum,
Damnat avaritiam munere larga manus,
Carnis luxuriam refugit mens corque pudicum,
Invidiae vitium suavis abhorret amor,
Esca merumque gulam modicum, cor mite furorem,
Pigritiamque fugit zelus ad omne bonum.

Axioma.

Accumulare *velis* bona, quae sunt, corde *fidelis*!
Perque bonos *mores* ad summos tendis *honores*!
Thesaurus *talis* pretiosus *spiritualis*,
Et tibi dat *rite* post funera munera *vitae*.

Dies 18. Martii.

St. Gabriel Archangelus.

I Gabriel! coelos iterum conscende, petitis
Assensa est humilis, Virgo Maria tuis.
Sed cur cunctaris? par coelo est cella Mariae,
In qua nunc residet Filius ipse Dei.

Doctrina dogmatica.

Mentes Angelicas Deus ad sublime creavit
Consilium, finem, propositumque suum:
Ut venerentur eum, redament, famulentur, adorent,
Defendant homines, subsidiumque ferant.

Axioma.

Vis bonus esse? *velis!* fies per velle *fidelis*;
Posse is *concedit*, qui tibi velle *dedit*.

Dies 19. Martii.

St. Josephus Sponsus B. M. V.

I.

Te voluit, Josephe, sibi Deus esse Parentem,
Esse Virum voluit te sibi Virgo Parens.
Quis queat hoc Sponso, Patre hoc quis surgere major,
Quo Virgo voluit, quo Deus esse minor.

Sententia moralis.

Mens humilis sequitur vere vestigia Christi,
Qui licet omnipotens vult velut esse nihil.

II.

Hic Jesu Pater est, Conjux sed Virginis, absque
Prole Parens nata, non sine prole Pater.
Nutrivit nutritorem sudore fabrili,
Totius mundi est Filius ipse faber.

Applicatio moralis.

Purus corde tuo, prudens humilisque manendo,
Semper eris magno dignus amore Dei.
Esto comes Jesus tuus, esto domesticus ipse,
Tum via, duxque tuus, cum morieris, erit.

Axioma.

Cor tibi sit *purum!* semper meditare *futurum!*
Sit tibi velle *Dei* lex sola! sit ordo *diei!*

Dies 20. Martii.

St. Joachim Pater B. M. V.

Quidquid erit laudum, versu cumulatur in uno,
Ille Avus est Christi, Virginis ille Parens.

Applicatio moralis.

Quisquis constanti reveretur honore parentes,
Sospite longaevus sorte beatus erit.
Prompto corde tuis praebe genitoribus aurem,
Sunt etenim domini praepositique tui.
Si tibi quid prohibent, noli perquirere causam,
Namque renitentis mentis id esse solet.

Axioma.

Vita tuis *rite* gnatis sit regula *vitae!*
Rex dominans *qualis*, non raro *grex* quoque *talis*.

Dies 21. Martii.

St. Benedictus Abbas.

I.

Quod sol in coelis, hoc est Benedictus in orbe,
Sol spargit radios, tu Benedicte fidem;
Sol fruges profert, Ecclesia prole redundat,
O Benedicte parens, et Patriarcha, tua!

Doctrina moralis.

Christi doctrinas attentis auribus audi
Auditasque tuum cor penetrare sinas,
Ut bene nosse Deum discas et amare, tibique
Fiat in aeterna sede beata quies.

II.

Non benedictus eras propter bene plurima dicta,
Sed quia fecisti tam Benedicte bene.
Te poterit, Benedicte, satis, benedicere nemo,
Sed bene jam dixit te satis ipse Deus.

Applicatio moralis.

Factis non verbis vere bona vita probatur,
Saepius in verbis perfida sensa latent.
Factis non verbis potius bona vita probatur
Tunc tibi tunc aliis utilis esse potes.

Axioma.

Ut decuit, docuit *factis* sua verba *peractis*;
Plus male facta *nocent*, quam bene dicta *docent*.

Dies 22. Martii.

St. Catharina de Svetia.

(Adhuc infans respuit impurarum nutricum ubera.)

Nutriit Illiaden matris lupa Romula prolem,
Nutriri a Paphia noluit agna lupa.

Sententia moralis.

Exemplo pare, quod nobis pusio monstrat;
Devita socios, quos mala vita notat!
Semper enim perdunt mores consortia prava,
Dum bona corruptos aedificare solent.

Axioma.

Perversi *dici* non unquam vultis *amici;*
Perversae *gentis* foedus perversio *mentis.*

Dies 23. Martii.

St. Otto.

(Logographus.)

Litera prima gemit, gemit ultima, luctus hic unde?
Adjacet ad truncos utraque maesta crucis.
Exiit e duro resolutus carcere miles,
In duramque magis mox cruciandus init;
Quippe monasterii cellas ingressus, ibidem
Aspera terque magis dura flagella tulit.

Sententia moralis.

Dilige stare domi, soli tibi gratia fulget;
Nam mundi strepitum gratia ferre nequit.
Non audire vales ejus tam lenia verba,
Quando cor mundi personat aura tuum.

Axioma.

Contemptus *rerum* mundi prudentia *verum;*
Mundum qui *spernis*, regnis gaudeto *supernis.*

Dies 24. Martii.

St. Simon Tridentinus M.

(Puer Martyr, quem Judaei variis cruciatibus tortum morte affecerunt.)

Felix ille puer, quod parvo in corpore magni
Personam potuit sustinuisse Dei.
Durius est, quo pergis, iter tibi debuit ultro
Pandere lacteolam lactea zona viam.

Sententiae morales.

Insontes aliena piant non propria facta,
Hinc Christi comites sunt similesque sui.
Felices mundo qui vivunt corde, videbunt,
Quem numquam cernet pupula foeda, Deum,
Mundities cordis Regis causabit amorem,
Regis, qui mundum non nisi pectus amat.

Axioma.

Qui sequitur *Christum*, nunquam nox obtegit *istum*;
Ne nocte *offendas*, Christi vestigia *tendas*.

Dies 25. Martii.

Annunciatio B. Mariae V.

(Maternitas Dei Divinitati affinis est.)

Juristis fructus pars ventris dicitur esse,
Sed Deus est fructus, venter hic ergo quis est?

(Fiat mihi secundum verbum tuum.)

Et visa est parere et parere Puerpera Mater,
Nam quia legato paruit, inde parit.

Applicatio ascetica.

Esto tibi specimen virtutis Virgo Maria,
Rebus in angustis fida patrona tuis.
Hanc venerare, piis hymnis et laudibus effer,
Hanc in praesidium posce ducemque tuam.
Tunc erit illa tuum mortis solamen in hora,
Nec sinet, ut noceat daemonis ira tibi.

Axioma.

Te totae *mentes* cunctae ferventer *honorant*,
Devotae *gentes* junctae reverentur et *orant*.

Dies 26. Martii.

St. Ludgerus C.

(Ipsius animus instar sideris in coelum visus est ferri.)

Ludgerus antiquis nova fax adscribitur astris,
Indiguit coelum sidere, terra dedit.

Applicatio moralis.

Sursum verte tuos sensus, cor et omnia vota,
Christus ubi vivit, perpetuoque regit.
Sidus eris coeli, si Christi luce potitus,
Virtutis specimen, dux et amator eris.

Axioma.

Ut Phoebus *lucens*, astrorum saecula *ducens*,
Cuncta calore *fovet*, tempus et omne *movet:*
Sic et *credentes* collustrat gratia *mentes*,
Pectus amore *fovens*, ad bona corda *movens*.

Dies 27. Martii.

St. Rupertus Ep. Vangionum.

(Ejus funus festivo cantu Angeli prosecuti sunt.)

Subtrahitur terris decus ingens, additur astris ;
Jure igitur plaudunt sidera, terra dolet.

Applicatio moralis.

Non oculus vidit, non audiit ullus in aure,
Aut in corde suo gaudia sensit homo,
Quae Deus in coelis illi conservat abunda,
Qui constanter eum diligit atque colit. I. Cor, 2. 9.

Axioma.

Ut mons *ascendit*, sic mens ad sidera *tendit;*
Spinetis *frondens*, caput inter nubila *condens*
Mons linquit *planum*, consurgens mens pia *vanum*.

Dies 28. Martii.

St. Guntramus Francorum rex.

(Eo plura in egenos dividit, quo plura a Deo accipit.)

Pannosis, Guntrame, licet largitus egenis
Plurima des, multo dat tibi plura Deus.
Quidquid agas, quaecunque inopi donaria dones;
Hac Deus in pugna divite victor erit.

Doctrina dogmatica.

Nemo potest propriis opus edere viribus ullum,
Quo sibi pro caelo lucra merere queat,
Sive placere Deo, nisi gratia juverit illum,
Foecundansque suo rore rigarit opus.

Axioma.

Ut visat *mentem* Deus et tu vise *jacentem*;
Ut Deus et *large* tibi det, tu munera *sparge*;
Potaris, *genti* si potum das *sitienti*;
Ut te *caelestis* velet super aethera *vestis*,
Contege veste *virum*, quem nudum noscis et *irum*;
Si, reserans *aedem*, das, si venit advena, *sedem*,
Jungeris ut *civis* caeli post funera *divis*.

Dies 29. Martii.

St. Marcus, Arethusiorum Ep. et M.

(Melle delibutus vesparum aculeis ad solem exponitur.)

Mors tua, Marce, licet dulcedine mellis abundet,
Non fuit illa tamen dulcis, amara fuit.

Applicatio moralis.

Dulcia non meruit, qui non gustavit amara;
Si vis laetari, tristia disce pati.

Axioma.

Nullus homo *noscit*, quo mors nos tempore *poscit;*
Nemo post *mortem* potis est describere *sortem.*
Qui mala *devitat*, benefactis se bene *ditat*,
Crimina *deplorat*, Christo servire *laborat*,
Non timeat *mortem*, sed nec post funera *sortem.*

Dies 30. Martii.

St. Regulus, Arelatensis Ep.

(St. Dionisii et aliorum duorum sociorum martyrium columba nuntia inter sacrificandum accepit.)

Regule, sive tibi longaevo sive Noemo
Nuntia sic semper fida columba fuit.

Doctrina applicata.

Luce sua mentem replet, cor Spiritus urget,
Ut sciat, et faciat cognita jussa Dei.
Ista columba tibi septena charismata donat,
Queis tibi vita levis, mors tibi dulcis erit.

Axioma.

Sicut avis, *verbum* volitat, sic dulce et *acerbum*;
Nulla rapax sit *avis*, sint verba columba *suavis*.

Dies 31. Martii.

St. Agnes, Praemonstratensis V.

(Candida veste sui ordinis induitur.)

Corpore in intacto niveum qui cernis amictum,
Sub niveo niveam vellere cernis ovem.

Sententia moralis.

Ad malefacta tuis ne corporis utere membris,
Sint ea servitio cuncta dicata Dei.
Aures immundis reprobisque reclude loquelis,
Lingua modesta minus nesciat ulla loqui.
Nil manus attingat, quod cor maculare timeres,
Peccatique vias ire caveto pedes.
Omnes ad finem sensus operentur eundem,
Scilicet ut crescat cultus honorque Dei.
Tunc ad perpetuam vitam de morte resurges,
Et sine morte tuo corpore clarus eris.

Axioma.

Ut placeas *Christo*, dum mundo vivis in *isto*,
Ad regnum *coeli* suspira mente *fideli*,
Abjectoque *foris* caeno carnalis *amoris*.

Mensis Aprilis.

Hoc aperitur humus, sol mense calescere coepit;
Gratia cor reseret, ditet amore Dei.

Surrexit Christus vivusque sepulchra reliquit,



Mors, scelus et Satanae regna subacta jacent.

Dies 1. Aprilis.

St. Hugo E.

Aprilis dum prima dies te misit ad astra,
Mors te non lusit, neve jocata fuit.

Sentententia moralis.

Si quae deliciae mundanae pectora mulcent,
In nihilum veluti fumus et umbra fluunt;
Aeternae nunquam transibunt gaudia vitae,
Nullo terrenis aequiparanda modo.
Stulte! per ambages quid inania gaudia quaeris?
Si tibi vera cupis gaudia, quaere Deum!
Non satiare potest cor nostrum mundus; ad astra
Tendimus, in solo numine nostra quies.

Axioma.

Hic mundus *transit*, nil immutabile *mansit;*
Quod sors fausta *capit*, mors inimica *rapit.*
Perpetuo *durat* virtus, mens hanc pia *curat;*
Hanc sors nulla *rapit*, sed bona cuncta *capit.*

Dies 2. Aprilis.

St. Franciscus de Paula C.

(Ordinis Minorum fundator.)

Quo sibi quis demissior, est sublimior inde;
  Ergo quid sequitur? maximus est minimus.
Non voluere piis Superi subscribere votis,
  Magnus enim, Minimus dum cupit esse, fuit.
Quod toga Francisco sua navis praebeat usum,
  Ni foret e minimis, non puto ferret eum.

Applicatio moralis.

A vitiis aliis vitium quodcumque cibatur,
  A virtute tamen pabula fastus habet.
Disce proin fastum tanto plus esse cavendum,
  Quanto perfectum te magis esse putas.
Haec occulta tuam tentare superbia mentem
  Pergit et inde vigil sensibus esto tuis.

Axioma.

Non est *prudentis* stolidae jactantia *mentis;*
Se laudans *sordet,* famam laudatio *mordet.*

Dies 3. Aprilis.

St. Josephus Poeta C.

Dicitur en fictor vulgari voce poeta;
Joseph Sanctorum sacra trophaea canit;
Nil minus ille tamen fuerat quam fingere doctus.
Dic, sacer et verus nonne Poeta fuit?

Applicatio moralis.

Sanctorum meritis pius inclyta gaudia canta,
Excitat haec animum cantio sancta tuum;
Excitat assidue coelorum quaerere regnum,
In quo perpetuo cantica sancta sonant.
Exercere bonum factis est vera poesis,
Factis non verbis sanctificatur homo.

Axioma.

Si tenet os *carum* mel, cor fel condit *amarum*,
Captant *fidentes* fraus et fallacia *mentes*.

Dies 4. Aprilis.

St. Therma V. M.

Mavult Therma mori, quam Christum virgo negare;
Vita, ais, est Christus, ne moriar, moriar.

Applicatio moralis.

Vivet in aeternum, qui Christi perdit amore
Vitam, nec renuit tradere sponte suam.
Nil juvat hunc homini mundum si posset habere;
Mundus enim tamquam fumus et umbra fugit.
Stultius hinc nihil est, quam gaudia quaerere mundi,
Quae solet haud dubie tetra gehenna sequi.

Axioma.

Divitiae, *fundi*, decor omnis, gloria *mundi*,
Aetatis *flores* et gaudia, laus et *honores*:
Omnia *transibunt* et nobis morte *peribunt;*
Haec sapiens *spernit*, quia coeli lumine *cernit.*

Dies 5. Aprilis.

St. Vincentius Ferrerius C.

Redditur auditus surdis et visio caecis,
Vox mutis, functis vita, medela leprae;
Tartara debellans, animas tot crimine solvit,
Erga omnes mitis, ferreus ipse sibi.

Applicatio moralis.

Justus in adversis numquam tremit, angitur autem,
Quando suum fratrem cernit acerba pati.
Mollis in alterius sortem lacrimatur iniquam,
Ferreus in propriam non habet, unde fleat.

Axioma.

Cor quod summa *petit*, laedenti non mala *reddit* —
Cunctis omne *bonum* pronus dispergere *donum*.

Dies 6. Aprilis.

St. Guillelmus, Augustinianus Canonicus C.

(Ipso Christi resurgentis die moritur.)

Quo patriam redivivus abit super aethera Christus,
Hic tibi supremus fulsit in orbe dies.
Ille triumphabit cum Christo glorificato,
Qui fuerit socius cum patiente crucem.

Sententia moralis.

Qui cupit in Christo surgens gaudere beatus,
Portator studeat sedulus esse crucis.

Axioma.

Vos crucis *osores*, *majores* saepe *dolores*
Pro mundi *laetis*, quae quaeritis, *invenietis*.

Dies 7. Aprilis.

St. Calliopus M.

(Adstante et laetante matre in crucem tollitur.)

Tollitur in duram proles dilecta cupressum,
 Supplicio voluit fortis adesse parens.
Gratior illa tibi, dum pendet ab arbore, quam cum
 Luderet e collo pensilis ante tuo.

Applicatio moralis.

Mater vera volens ad coelos scandere natos,
 Cernit eos duras laeta meare vias.
Nec via plana patet coelo nec janua larga,
 Utraque non cautos ducit ad interitum.

Axioma.

Recte *educati* crescunt ad sidera *gnati.*
Ut pater *incedit*, sic gressus filius *edit.*

Dies 8. Aprilis.

St. Perpetuus, Turonensis Ep.

(Coelitibus varia templa erigit.)

Qui tot templa dicat, qui tot coestibus aras,
Hic dignus templis, ut coleretur, erat.

Sententia moralis.

Jugiter esto tuum cor Jesu nobile templum,
Araque mens humilis, lumina sanctus amor.
Hoc super altari tua sit sacrata voluntas,
Omnes affectus cunctaque vota tua.

Axioma.

Virtutum *sedes* sit cor, sit Numinis *aedes*!
Non maculet *sordis* tua dedecus intima *cordis*!
Cor nec amor *fundi* vitiet, nec gloria *mundi*!
Cor manet *illaesum*, quod amat ferventer *Jesum*.

Dies 9. Aprilis.

I.

St. Petrus Luxemburgensis Cardinalis.

(Sine funebri pompa voluit sepeliri. Ad ejus tumulum mortuis et caecis plurimis lux reddita fuit.)

Sat claram spargunt tumulo miracula lucem,
Tollite funereas, lumen inane, faces.
Quam cassis oculorum usu vitaeque dedisti,
Dive, tuum lustrat lux satis illa rogum.

Applicatio moralis.

Pompas funereas mundo celebrare relinque,
Dumodo sit meritis mens decorata bonis.
Hoc decus aeternum manet aeternumque nitescet,
Dum secus ad tumbas pallet inane decus.

Axioma.

Pascitur in *vivis* livor, post fata *quiescit;*
Si bonus est *quivis*, fama et post funera *crescit.*

II.

St. Maria Aegyptiaca.

(Sicco pede per Jordanem transmeat.)

Cum per aquas siccis gradiare levissima plantis,
 Te scelerum molem deposuisse probas.

Applicatio moralis.

Conscia mens recti famae mendacia ridet,
 Et velut aëreos computat illa sonos.
Si cupis in terris laetari pace serena,
 Res super adversas sit via tuta tibi;
Justam coneris sine crimine ducere vitam,
 Affectus pravos sobrietate domans,
Orans et vigilans, circumspiciensque petulcam
 Carnem sub mentis dans redigensque jugum.

Axioma.

Scribetur *portis:* Meretrix est janua *mortis*,
Cum vultu *pungit*, cum verbis dulciter *ungit*,
Affectum *fingit*, complexu pectore *stringit*,
Si res *succedit*, vaeh! cor cum corpore *laedit*.

Dies 10. Aprilis.

St. Macharius, Patriarcha Antiochenus.

(Cruce, qua vice baculi utitur, morbos fugat.)

Quum jam Mosaici sileant miracula sceptri,
Ecce tuam clarat par quoque virga manum.

Applicatio moralis.

Fortiter a saevi si daemonis angeris astu,
Hostis et antiqui frangere tela nequis,
Jejunes, humilique preces dic corde, deinde
Fracta crucis signo daemonis arma cadent.

Axioma.

Crux est *profundi* terror, victoria *mundi*,
Crimina spes *flentis*, ter fausta redemptio *gentis*,
Salvificans *navis*, felix ad sidera *clavis*.

Dies 11. Aprilis.

St. Leo Magnus, Papa.

(Attilam Hunnorum regem in Italiam irrumpentem aspectu suo reprimit.)

1.

Attila, quid retro vertis nec pergis in urbem?
Si leo nempe rugit, mox lupus inde fugit.

Doctrina moralis.

Conscia mens recti nescit trepidare nec angi,
Quando supercilii fulmina saeva micant.
Qui sacros homines spernunt et schismata conflant,
Hos super insanos vindicis ira cadet.
»Caini more vias abeunt livoris iniqui,
Inque truci pereunt seditione Core.
Christi sunt hostes errantia sidera veri,
Queis manet in tenebris tetra procella nigris«.
Jud. 11. 13.

2.

(Dulci eloquentia praeditus.)

Mortuus exanimi dederat Samsonius ore,
Iste suo vivus mel dedit ore leo.

Regula pastoralis.

Verbis mellifluis docuit vestigia Jesus
Assidue plebem corde libente sequi.
Prudens orator dulcorat melle loquelae,
Quae nimium populo forsan amara forent.
Sic homines placido simul et sermone severo
Dulciter attractat conciliatque sibi.

Axioma.

Mitificant *mentes*, qui mitia verba *loquentes*
Hostibus *ignoscunt*, nec poenas sumere *poscunt*.
Audi *doctrinam*, si vis vitare *ruinam*!
Stellis ac *herbis* est vis, sed maxima *verbis*.

Dies 12. Aprilis.

St. Alferius Abbas Cluniacensis.

(E summo montis vertice sine noxa praeceps a Cacodaemone agitur.)

A Satana praeceps agitur de vertice montis,
Sed placidam nullo vulnere tangit humum.
Dejicit ex alto nos culmine sola voluntas
Virtutum: proprium velle piare velis.

Regula ascetica.

Velle refelle malum, mala non vult velle supremum,
Juxta velle Dei dirige velle tuum.
Unum velle malum justos jam saepe bonosque
Perdidit et penitus duxit ad interitum.
Unde malum semper solerter velle caveto,
Ne sit certa tuum velle ruina tibi.

Axioma.

Det tibi velle *bonum* Deus et verissima *scire*!
Est coeli *donum* res haec pretiosaque *mire*.

Dies 13. Aprilis.

St. Hermenegildus M.

(Media nocte interfecto, ad sacrum funus concinunt Angeli.)

Ut Superi, nascente Deo, cecinere choraulae,
Sic repetunt hilares te moriente modos.
Attulerat terris oriens, quae gaudia Christus,
Interitus festis dat tuus illa polis.

Applicatio moralis.

Quantus in aeternis concentus amabilis hortis,
Coetibus et turmis personat Angelicis!
Omnes per coeli regiones voce sonora
Sancti proclamant: Sanctus in aeva Deus.
Virgineus candor praeconia, lilia portans,
Et comitans agnum, laetus amoena canit.
Coetus innumeri Triadi clamore chorizant:
Sanctus in aeternum! qui sedet in solio.
His ut perpetuo sociere ligamine turmis,
Assidue Christi perge meare vias.

Axioma.

Caelorum *si vis* fieri pius incola *civis*,
Corde humilis, *castus* devites daemonis *astus*.

Dies 14. Aprilis.

St. Lidwina V.

Vix non morborum consumta doloribus, ecce
Vivere, vel potius desiit illa mori.
Desiit illa mori, purique nitore metalli
Purior ad puros it sine labe polos.

Applicatio moralis.

Multos angores, mala plurima sustinet aeger,
Sed mala sunt animae grata medela suae.
Terguntur maculae, meritorum copia crescit,
Et sua sensa libens aeger ad alta levat.
Nolens sive volens debes tolerare dolores,
Hinc et amore Dei fer patienter eos.
Quidquid in orbe mali, quidquid perferre molesti
Cogeris, haec animo sunt toleranda bono.
Temporis hujus enim quid sunt mala cuncta crucesque,
Si reputas coeli gaudia magna nimis? —

Axioma.

Rebus in *angustis* res est patientia *justis*;
Laetitiae *fructus* mundi post saecula *luctus*.
Qui non *lugebit*, coelesti luce *carebit*.
O felix *fletus*, quo fis super aethera *laetus*.

Dies 15. Aprilis.

St. Eutichius M.

(Prope ejus tumulum Redemtus Pontifex lectulum sibi adornari curat.)

En thalamus tumulusque brevi discrimine distant,
Et mors est somni fratris amica soror.
Ad lectum, ad lethem cursu properamus eodem,
Est tumuli thalamus, mortis imago sopor.

Doctrina moralis.

I.

Mors soror est somni, somnus quoque mortis imago,
Nescius est proprii semper uterque status.
Ut senibus sic mors juveni non parcit adulto,
Aequali fortes enecat arte viros.

II.

Aenigma.

Me delectat, ait, florem calcare virenteM,
Obvolitare metum, tristia ferre citO.
Regno solum, mea forma nihil, labes mea mateR
Saecla timent hastas piscis avisque meaS.

Axioma.

Contra vim *mortis* non est medicamen in *hortis.*
Per nullam *sortem* poteris depellere *mortem.*
Est commune *mori*, mors nulli parcit *honori.*
Nobilis et *fortis* veniunt ad funera *mortis.*

Dies 16. Aprilis.

Ss. Successus et Felix M. M.

Successus Felixque die celebrantur eadem,
Incoeptis faveat rebus uterque tuis.

Applicatio moralis.

Ut tibi succedant feliciter acta diei,
Implora sanctum nomen ad illa Dei.
Nam nisi praestet opem Deus auxiliumque ministret,
Constans ipse labor totus inanis erit.
Hinc operis comes esto tuis benedictio coeli,
Prosperitasque Dei certa sequetur opus.
»Omnia proficiunt ad eorum lucra bonumque,
Qui Dominum vero semper amore colunt«.
Rom. 8. c. 28 v.

Axioma.

Nomine sint *mentes* Christi quaecunque *petentes!*
Firma fides *donum* suscipit omne *bonum.*

Dies 17. Aprilis.

St. Anicetus P. M.

Presbiteros prohibes nutrire, Anicete, capillos;
Tondes, non corias, mi bone Pastor! oves.

Sententia moralis.

Non coma sit capitis, sed sit sapientia splendor,
Haec ubicunque suo clara nitore placet.

Axioma.

Peccati *testis* velans est corpora *vestis;*
Hinc absit *vestis*, quae moribus obstat *honestis!*
Ut facies *testis*, quales intrinsecus *estis*,
Sic est et *vestis*, quo clares *testis*.
Est decor et *cultus* praeclara modestia *vultus*.

Dies 18. Aprilis.

St. Perfectus M.

Te Mahometani perimunt, Perfecte sacerdos,
Imperfectus eras, martyria perficiunt.

Sententia moralis.

Nomen Perfecti credenti congruit omni;
Perfectos omnes praecipit esse Deus.
Sunt operum fructus omnino necesse bonorum,
Ut quis Perfecti nomen habere queat.
Namque fides operum sine fructu sola bonorum
Est veluti corpus mortua mente carens.
Tot facies fructus virtutum proficiesque,
Quantum teipsum mortificare soles.

Axioma.

Hic perfectus *erit*, qui nunquam terrea *quaerit;*
Qui peccata *fugit*, fervens hortamina *sugit;*
Qui vigilans *orat*, semper sua crimina *plorat;*
Virtutis *florem* colit et pietatis *amorem*,
Et Christo *votus* famulatur pectore *totus*.

Dies 19. Aprilis.

St. Vernherus M.

(Infixo humi scipione fontem elicit.)

Impacto tibi fluxit humus, Vernhere, bacillo,
Et vix tecta suas gleba profudit aquas.
Mosaicae miranda minus miracula virga,
Bis silicem Moses perculit, iste semel.

Applicatio moralis.

Percute spinoso baculo cor crimine durum,
Ut saliat purgans inde doloris aqua.
Percute ter baculo sensum carnemque petulcam,
Perniciem multis attulit ista lues.
Percute sub leni tectum velamine fastum,
Saepius incautis iste ruina fuit.
Hunc humili teneas et cauta mente subactum,
Ne vel agens sanctum decipiaris opus.
Percute vix ortam vesanam protinus iram,
Haec hominum mentes turbat et obtenebrat.
Haec te mundabit percussio teque cavebit,
Ne tibi seductor damna creare queat.

Axioma.

Si coeli *rorant*, mox flores prata *decorant;*
Crimina *deflenti* veniet mox gratia *menti.*

Dies 20. Aprilis.

St. Agnes Politiana V.

(In ejus ortu nova stella emicuit.)

Fulgida bis geminae clarant cunabula stellae,
Dum paritur virgo, dum quoque virgo parit.
Scilicet ex utero dum Virgine nascitur Agnus,
Agnes dum virgo nascitur, astra micant.

Applicatio moralis.

Virgineos generat flores Ecclesia Christi,
Sola solum verae virginitatis habet.
Virgo Dei nati genitrix quoque debuit esse,
Virginis et natus debuit esse Deus.
Pars est virginitas gregis inclyta claraque Christi,
Quare prae reliquis est veneranda magis.
Virgo proin Christi merito quoque sponsa vocatur,
Quam teneris verbis copulat ipse sibi:
Filia trade tuum mihi cor, mihi competit illud,
Proque tuo reddam cor tibi dulce meum.

Axioma.

Filia peccati *mors* est, materque *cupido;*
Invenietur in hoc *sors* pessima, tot mala *nido.*

Dies 21. Aprilis.

St. Anselmus E.

Doctrinam Anselmi nemo miretur, ab ipso
Coelesti dulces fonte bibebat aquas.

Applicatio moralis.

Filius est sapiens, qui legem servat et implet,
Et procul a vitiis pergit amare bonum.
Effluit a summa Deitate scientia rerum,
Hoc ex fonte bibas, tunc tibi scire juvat.
Et schola discendi res est Ecclesia Christi,
Cujus doctrina sit penetrata tua.
Audi doctrinas humilisque subesto ferenti
Leges salvificas frugiferasque tibi.
Saepe roges, ut sancta parens Ecclesia Christi
Floreat, augescat, paxque virescat ei,

Axiomata.

Raro doctus *erit*, qui semper ludere *quaerit;*
Quos Satanas *ludit*, multos in tartara *trudit.*

Felices *isti*, quoscunque scientia *Christi*
Imbuit atque *pias* ducit inire *vias.*

Dies 22. Aprilis.

St. Soter P. M.

Ferre tibi, Soter, soteria debuit orbis,
Tu siquidem sospes sospitis hujus eras.

Sententia moralis.

Si benefactorum non est tibi gratia facta,
Hoc jam pacifico corde relinque Deo!
Ista bona si mente facis, Deus ipse rependet,
Centupla promisit retribuetque tibi.
Ingratus vitulo, qui sugit ad ubera matris,
Est similis, siquidem postea pungit eam.

Axioma.

Peccasti, *obscoenum* delent benefacta *venenum*;
Ne pecces, *mentem* defendent haec *facientem*.

Dies 23. Aprilis.

I.

St. Georgius M.

Coelesti pugnat vincitque Georgius agno;
Dicetur merito Velleris aurei Eques.

Doctrina moralis.

Quid tibi proficiunt hujus decoramina mundi,
Si sordes animam spurcitiesque tegunt.
Unde tuam maculis animam prius ablue foedam,
Tunc ornabit eam perpetuale decus.
Funde preces, luctare libens, tribulansque labora,
Ornabuntque caput fulgida serta tuum.
Pax aeterna tibi requiesque parabitur illic,
Et tua turbabit gaudia magna nihil.
Sic tibi clara simul decoramine pensio fiet,
Quam neque fur aufert, nec mala blatta vorat.

II.

St. Aegidius C.

Ter ferit Aegidius terram, tria lilia surgunt;
In partu Virgo, post, ais, ante fuit.

Doctrina dogmatica.

Intuitu Christi meritorum Virgo Maria
Semper ab hoc primo crimine salva fuit.
Quippe sub instanti primo, cum conciperetur,
Munda fuit donum per speciale Dei.
Hinc Ecclesia vult ortum velut immaculatum
Virginis intactae semper in orbe coli.

Axioma.

Hic quidquid *pulchrum*, non est nisi putre *sepulchrum*;
Gaudia vera *petas*, quae nunquam terminat *aetas*.
Sit »quaqua« *ranis*, cras corvis vanaque *vanis*;
Vive Deo *soli*, quod amat caro, quaerere *noli*.

Dies 24. Aprilis.

St. Bona V.

Omni virtutum fulget Bona Virgo decore,
Indicat et nomen, quam bona virgo fuit.

Applicatio moralis.

Fac, ut in aeterno sit scriptum codice nomen,
Atque notata simul sint bona facta tua.
Hoc tibi non mundi splendescere nomine claro
Magnum solamen, cum moriere, dabit.
Sis bonus atque bonos fac fructus mente fideli,
In regno Christi dulce dapale tuum.

Axioma.

Dilige *virtutem*, si vis reperire *salutem!*
Virtus *thesaurus*, qua fertur denique *laurus*,
Virtus sola *bonum*, quod praestat gratia *donum;*
Ut juvet, *implores* et semper fervidus *ores!*

Dies 25. Aprilis.

St. Marcus Evangelista.

Numquam marcescet, sed laus tua Marce virescet,
Marci Evangelium donec in orbe viget.

Doctrina dogmatica.

Quae scripsere viri divino Flamine ducti,
Foederis antiqui scilicet atque novi,
Vel non scripserunt, Ecclesia tradidit autem,
Fontes sunt fidei materiesque tuae.
Non etenim nisi vera docet, quae jussit in orbem
Christus apostolico ferre Magisterio.
Officii memor esto tui, quum verba sacerdos
Dicit Evangelii, nuntia laeta Dei;
Scilicet ipsius doctrinas nosse labora,
Et coram mundo confitearis eas,
Imo vel adversus defendito fortiter hostes,
Utque tuae vitae sint via recta, stude.

Axioma.

Quod sua verba *monent*, tu noli tradere *vento;*
Cordis in aure *sonent*, et sic retinere *memento.*

Dies 26. Aprilis.

I.

St. Trutpertus.

Eligit obscuram sibimet Trutpertus eremum,
Ut solus solum laudet ametque Deum.
Exstructo templo latronum fuste peremtus
E saltu saltum Martyr ad astra facit.

Applicatio moralis.

Ille suam solers animam fovet atque tuetur,
Qui procul a mundi turbine ducit eam.
Spiritus hic animam sancto solet igne fovere,
Solarique suis suavibus eloquiis.

II.

Ss. Cletus et Marcellinus M.

En Cletus laetus moritur pro nomine Christi;
Libans iste diis illico poenituit.
Neve suum sola fateatur fronte pudorem,
Expetiit toto sanguinis imbre tegi.

Applicatio moralis.

Catholicae fidei numquam moveare, pavore
Impavidoque tuam corde fatere fidem.
Sis procul a sociis, qui Religione rejecta,
Moribus et verbis dira venena spuunt.
Sunt sibi, sunt aliis tamquam basiliscus iniqui,
Qui spirans alios toxica seque necat.
Abstineas pariter librorum semper ab usu,
Qui fidei possent damna creare tuae.

Axioma.

Non te junge *malis*, sed honestis esto *sodalis;*
Perdunt *mortales* blandi plerumque *sodales.*

Dies 27. Aprilis.

St. Sita V.

(Proci sibi turpiter insidiantis vultum unguibus dilaniat.)

Accipitrem timidae metuebant ante columbae;
Sed nunc accipiter saevus ab ungue timet.
Iste probat, non sola suis rosa sentibus horret,
Flos etiam spinas virginitatis habet.

Applicatio moralis.

Crimen erit, si quis vestem raptaret egenti,
Grandius, uxorem si cupit atque rapit,
Majus adhuc quemquam vita spoliare necando,
Quam super omne bonum diligit omnis homo,
Sed quid in aeternas animam protrudere flammas,
Estne scelus majus terrificumque magis?
Hoc seductor agit velut execrabile monstrum,
Pejus daemoniis horridiusque stygis.
Hoc monstrum timeas et verba repercute viro,
Dulcibus immixto mellibus uda necis.

Axioma.

Quid caro? vilis *humus;* quid carnis gloria? *fumus.*
Qui sapit, hic *spernit,* quidquid mutabile *cernit.*
Carnis amor *carus,* sed finis amoris *amarus.*

Dies 28. Aprilis.

St. Theodora V. M. et Didimus Miles M.

Commutant habitus Didimus, Theodora, licebat,
Dicere, vir virgo, virgo vir iste fuit,
Si nullus, Theodora prius te vicerat armis,
Quid modo, dum fortis militis arma geris?

Applicatio moralis.

Parcus amicitia sis cunctis, largus amore,
Est decus hic majus virginis illa minus.
Verus amicus erit, qui te non diligit unum,
Sed plus teipso diligit ipse Deum;
Hic te virtutis docet ire viasque salutis,
Et monet eximium moribus esse bonis.

Axioma.

Illum nullus *amat*, qui semper: da mihi! *clamat.*
Obsequiosus *erit*, qui nunquam quae sua *quaerit.*

Dies 29. Aprilis.

St. Petrus M.

Symbola confessus fidei, caput ense reliquit,
Sed caput invenit, quod caput omne regit.

Applicatio moralis.

In rebus fidei nimium confidere noli
Ingenio proprio judicioque tuo,
Sed, quae vera docens Ecclesia nescia falli,
Te docet, haec humili mente prehende tua:
Quando, quod erudiens Ecclesia credere mandat,
Credis, eris tutus, credere verba Dei.
Dilige virtutem, pietatem jungere Christo,
Tunc fidei dubium diffluit omne tuum.
Flagitiosus enim vitiorum nubibus orbus,
Salvificae fidei lumen habere nequit.
Dixit Christus enim: »Mea qui mandata sequuntur,
Noscent esse Dei dogmata sancta mea«. Joh. 7. 17.

Axioma.

Ut vivas *rite*, tibi lex sit regula *vitae;*
Nemo est *exemptus*, nec legibus undique *demptus*.
Dicunt, et *vere*, morem vim legis *habere*,
Improbitas *nunquam* lex est nec mos malus *unquam*.

Dies 30. Aprilis.

St. Catharina Senensis V.

Vulneribus Catharina nites ornata salutis,
Hoc Sponsus Sponsae dat decus ipse Deus.
Hae sunt armillae, pretiosa monilia, gemmae;
Sed nitet in medio cordis imago Dei.

Applicatio dogmatica.

Condidit ex limo Deus admirabile corpus,
Quod gravis immotum molis ad instar adest.
Insufflans animam Deus illud vivificavit,
Quae numquam moritur, cum sit imago Dei.
Sic anima sic constat homo quoque corpore, sicque
Ex animae vita vivere corpus habet.
Mirum plasma Dei, cujus sublimis imago
Noscat eum, timeat perpetuoque colat.
Suavis imago Dei tuus est honor et decus omne,
Hoc bene conserves et reverere decus.

Axioma.

Est Deus omne *bonum*, fervens hoc poscito *donum!*
Est Pater, et *toto* corde ipsum dilige *voto!*
Est sol et *Numen*, vigilans hoc quaerito *lumen!*
Christo *salvatus* toto sis pectore *gratus!*

Mensis Majus.

Hoc jam mense suum celebrat natura triumphum,
Plantis virtutum cor decorare stude!

Spiritus accendit linguis urentibus orbem,



Et faciem terras fecit habere novam.

Dies 1. Maji.

SS. Philippus et Jacobus Ap.

Dic, uter ex istis majora peregit et egit?
Nescio, quod validus vivus uterque fuit.
In longas terras sonus exiit orbis eorum;
Nobilius fratrum par nec Olympus habet.

(Ad st. Jacobum e summo templi fastigio dejectum.)

Quam longe a vero tortor delirus aberrat?
Te ruere in terram credit, ad astra volas.

Applicationes.

I.

Fortis in adversis semper persiste ferendis,
Obsequio cunctis dives, inopsque tibi.
Moribus ac tenera cordis pietate labora
Jugiter aeterno vota litare Patri.
Quod grave, quod durum sibi computat esse laborans,
Praemia perpendens aestimat esse leve.

II.

Quae putat insanus justo mala damna creare,
Illi non isti saepe nocere solent.
Retia, quae tendit, laqueus fit perditionis
Ipsi, non aliis, si Deus ipse velit.

---

31 Eulogia in B. Virginem Mariam.

Eulogium 1.

Omnis lingua *pie* decantat vota *Mariae;*
Ad Te, cordis *amor!* resonat de pectore *clamor;*
Te, pia Mater! *amant*, ad Te pia pectora *clamant.*
Te fugiunt *mentes*, stygiis servire *studentes*,
Rex stygis et *saevae*, deceptor subdolus *Evae.*

Axioma.

Semper egenus *eris*, si semper plus tibi *quaeris.*
Si contentus *eris*, dives tunc *efficieris.*

Dies 2. Maji.

St. Athanasius Ep.

Quid faceres, gressu stares si firmus in uno,
Cum superes hostes vel fugiendo tuos?

Mater Ecclesia.

Sit tibi cara parens Ecclesia tuta magistra,
Nam fuit, est, et erit lumine docta Dei,
Cui non est verax Ecclesia mater in orbe,
Huic Deus in coelo non pater esse potest. S. Cypr.
Quisquis amat matrem, poterit quoque cernere patrem,
Sed sine matre nequit patris amore frui.
Hanc venerare tuam matrem pareque magistrae,
Hac duce non erras, hac duce salvus eris.
Navis ab aequoreis quamvis agitata procellis,
Tuta super fluctus incolumisque natat.
Quem non arca Noè susceptum protegit ista,
Fluctibus exortis mergitur atque perit.

Eulogium 2.

Aspice *credentem*, Mater, dulcissima *mentem*,
Et servare *velis* nos, o Regina *fidelis*!
Devius iste *via* non it ductrice *Maria*.

Axioma.

Frangitur ira *gravis*, dum sit responsio *suavis*;
Iras *sustollis*, si sit responsio *mollis*.

Dies 3. Maji.

I.

Inventio St. Crucis.

In cruce non omni crucis est inventio Christi:
  In cruce crux Christi rem patientis habet.

II.

St. Alexander P. M.

Qui te lictor acu pungendo occidit, honoris
  Nonne stolam fecit? sartor in arte fuit.

III.

St. Antonina V. M.

Ridet, dum Festi petit Antonina tribunal,
  Ad festum recte se properare putat.

Applicationes morales.

I.

Multi non quaerunt, fugiuntque molesta crucemque,
  Sed crux quaerit eos, quaerit ut inveniat.
Hi sunt carnales, qui nil nisi gaudia quaerunt,
  Quae tamen aufugiunt, quo magis ipsa petunt.

II.

Non patitur mortem, quem Christus pungit amoris
Cuspide, sed vita perpete laetus erit.
Mors tibi dulcis erit, si coeli gaudia quaeris,
Fortiter haec etenim semper habere cupis.

III.

Vive fide, peccare time, vitiosa recide;
Tunc in pace sedes, et mala nulla times.

Eulogium 3.

Si properas *fortis*, mox frangis spicula *mortis*;
Quae tentans *laedit*, styx subdola victa *recedit*.

Axioma.

Semper ut *evites* dissensus, jurgia, *lites*,
Lingua loquax *desit*, toties quae pectora *laesit*.

Dies 4. Maji.

I.

St. Monica Vidua.

Bis pariens Augustinum est enixa bis unum,
Natura mundo, post lacrymata Deo.

II.

St. Pelagia Vidua M.

Nata ter es, de matre prius, de fonte secundo,
De bovis es tandem ventre renata polo.

Applicationes morales.

I.

Saepe diu differt Deus exaudire precantes,
Vult animos meritis sic cumulare magis.
Hinc dimitte preces numquam, sunt semina foeta,
Quae fructus animae multiplicare solent.

II.

Omnes sunt homines ad coeli regna vocati,
Sed currunt multi perditionis iter.
Saepius hos revocat coelestis gratia lapsos,
Felices isti, si malefacta luunt.

Eulogium 4.

Es pacis *portus*, florens virtutibus *hortus*,
Es vas *virtutis*, spes gentis certa *salutis*,
Frangens, stella *maris*, ventos et fata *vocaris*.

Axioma.

Desit edax *labes*, livoris pallida *tabes*;
Gentibus *exosus* cunctis est *invidiosus*.

Dies 5. Maji.

St. Florianus M.

Non tibi Flora dedit, sed virtus florida nomen,
Mergere quam multae vis nequiisset aquae.

Virtutes morales.

Illas virtutes morales dicimus esse,
Quas sibi conciliat quisque labore suo,
Quae simul affirmant bene mores Christicolarum,
Ut sint accepti complaceantque Deo.
Gignit odoriferos istos Ecclesia flores,
In quibus omne facit suave nitere decus.
Quisquis vixtutum flores adamatque colitque,
Cunctorum poterit semper amore frui,
Et super hunc etiam fundit Deus ipse favorem
Et placidis oculis respicit atque fovet,
Prudenter justeque gerit pius omnia, perstat
Fortis in adversis, temperat ipse sibi.

Eulogium 5.

Si vis, quae *laedit*, vis et fallacia *cedit;*
Ex animisque *fugas*, quae turpant pectora, *rugas;*
Fortis es, ut *pellas*, minitantes fata, *procellas.*

Axioma.

Hostem non *fastus* vincit, sed bellicus *astus.*
Belliducum *laurum* discordia perdit et *aurum.*

Dies 6. Maji.

St. Joannes Evangelista ante portam latinam.

Mittitur in fervens oleum, tamen integer exit;
En! non permittit porta latina mori.

Fides mortua.

Mortua corpora sunt, anima nisi vivificentur;
Sicque fides nihil est, ni generarit opus.
Mortua sub modio lux est, sic tecta sub imo
Corde fides nihil est, ni sit in ore simul.
Esto fides in corde tenax et vivat in actu,
Ore sonet, quamvis mors toleranda foret.
Ut Deus est verax, sic est omniscius, unde
Spernit eum, quisquis credere nolit ei.
Quando fides operum quoque non splendore coruscat,
Frustra blandiris te decorare fidem.
Corpus habes fidei sine vita, vita redibit,
Quando fides operum coepit habere decus.

Eulogium 6.

Deles *affectus*, quae turpant crimine *pectus*,
Et turpes *quaestus* foedaeque libidinis *aestus*;
Extinguis, *diras*, fastum, qui surgit in *iras*.

Axioma.

En ultor *morum* fit conscia mens *reproborum*.
Peccati *fructus* diri post crimina *luctus*.

Dies 7. Maji.

St. Stanislaus Episcopus et M.

Membra Stanislai, rex! frustra in frusta secasti;
Coelestis medicus mox religavit ea.

Communio Sanctorum.

Pro fidei sociis toto viventibus orbe
Quotidie Dominum corde precare pio.
Qui fidei socii sunt, quos mors abstulit inde,
Quique luunt maculas igne piante leves;
His etiam miseris precibus succurre piisque
Actibus intendas ferre salutis opem.
Una fides, spes una ligat communis, amorque
Spirituale velut dulce ligamen eos.
His sociantur ii, qui coeli sorte fruuntur,
Quos etiam nobis copulat unus amor.
Corporis unius sumus omnes membra vicissim,
Et Christus Dominus spirituale caput.
Mutuiter meritis et spiritualibus ergo
Singula membra bonis participare queunt.

Eulogium 7.

In te *fidentes* clementer protege *gentes*,
Sanguine Christi *emptas* et Nati morte *redemptas*,
Ne pereat *sanguis*, vincens se jactet et *anguis*.

Axioma.

Nulla *ditari* ratione potestis *avari*;
Vos faciunt *inopes*, quas cumulatis *opes*.

Dies 8. Maji.

Apparitio St. Michaelis Archangeli.

Quis te, Dive, homini par est impendere curas,
Si tibi de vaccis cura laborque fuit?

Carnis illecebrae.

Fortiter illecebras carnis compesce rebelles,
Ne capiant animam, nec dominentur ei.
Vanas delicias mundi nec quaere nec opta,
Sunt foveae vitae perniciesque bonae.
Daemonis insidias stygiasque repercute fraudes,
In Christique fuga nomine fisus eum.
Hydropicis similes sunt carnis ad acta flagrantes,
Quo plus potantur, plus sitiuntur ea.
Quisquis terrenis ejurat, multa relinquit,
Quamvis pauca quidem sint valeantque parum.
Esse cupido solet vitiorum pessima lena,
Et sceleris mater, prava magistra mali.

Eulogium 8.

Es *peccatoris* spes, primonata *Satoris*,
Qui se *devoto* tibi tradit pectore *toto*,
Crimina cuncta *dolens*, aliud committere *nolens*.

Axioma.

Nunc lege, nunc *ora*, nunc cum fervore *labora*;
Sic erit hora *brevis*, sic labor ipse *levis*.

Dies 9. Maji.

St. Gregorius Episcopus Nazianzenus.

(Spreta, ad quam vocatur, infula, in eremum secedit, sed frustra — Episcopus electus est.)

Te venatur honos, at erit venatio felix,
Commodus est praedae, quo fugis ipse locus.
Hic velut umbra sequax tergo fugientis inhaeret,
Sectantemque vaga mobilitate fugit.

Applicatio moralis.

Centies invenies, quos hic modo spernis honores
Quando Deus tribuet regna beata tibi.
Si, qui perpetuae sunt vitae, volvis, honores,
Omnes mundanos foetida coena putas.
Caecus et insipiens haec quaerit sola caduca,
Quorum quoque die finis adesse potest.
Febris honor constans est, quae modo cessat abestque,
Tunc iterata venit, rursus abesse solet.
Laus hominum nihil est, nisi somnus, fumus et umbra,
Quum memor es, transit, sicut ab aere sonus.

Eulogium 9.

Salve flos *candens*, fructum sine vulnere *pandens*,
Mater ave *Christi*, quem nobis Virgo *dedisti*!
Virgo *mansisti*, Genitrix et facta *fuisti*.

Axioma.

Cum pax sit *verum* res praestantissima *rerum*,
Lis *declinetur*, pax inter nos *dominetur*.
Si cupias *pacem*, linguam compesce *loquacem*;
Os, qui non *claudit*, quod non vult saepius *audit*.

Dies 10. Maji.

St. Antoninus Episcopus.

Et fugit et spernit pius Antoninus honores,
Invito mitram Papa dat atque pedum.
Quam cupide mortale genus sibi prensat honores;
Te sibi tam cupide prensat et ambit honos.

Superbia.

Virtutis timor est, vitiique superbia radix;
Est procul a Domini quisque timore tumor.
Eccl. 10. 15.

Traxit ad ima Dei jactantia tartara cives,
Ergo quid exspectat, quando superbit homo?
Unde superbit homo, cujus substantia vermes,
Terra parens, fumus gloria, vita — nihil? —
Eccl. 10. 13.

Grande memento malum! rejicit Deus ipse superbum.
Angelici fastu mox periere chori.
Germinat innumeras saevasque superbia proles,
Est animae vere perniciosa lues.

Eulogium 10.

Digna *coli*, sine nube *doli*, me spernere *noli*!
Te precor, o *cura*, mea mens sit crimine *pura*.

Axioma.

Si purum *pectus*, dulcis solet esse *senectus*;
Sed morosa *luit*, quae vitiosa *fuit*.

Dies 11. Maji.

I.

St. Gordianus M.

Totus inardescis sacro baptismate lotus,
Hinc etiam e gelida venit hic ignis aqua.

II.

St. Felix et Blanda MM.

Uxor Blanda fuit Felicis, martyr uterque;
Felix adventus, saeva fuitque via.

Applicatio moralis.

I.

Divitiae mundi non sunt ardenter amandae,
Nam per eas nemo fit bonus atque probus.
Imo divitiae, bona mundi deliciaeque
Corrumpunt mores et mala multa creant.

II.

Felices, odio, recti, quos terra flagellat,
Venditur his merces non peritura probis.
Prospera nec justum, nec sors turbabit iniqua,
Jugiter in justi gaudia corde latent.

Eulogium 11.

Perfugium *flentis* sua tutum crimina *gentis*,
Auxilians *praesto* miseris linquentibus *esto*.

Axioma.

Non ponito *claudis* obicem, cum casside *fraudis*
Non puerisque *veni* ludibrioque *seni*!

Dies 12. Maji.

Ss. Nereus, Achilles, Domitilla et Pancratius MM.

Nereus et frater fugiunt simulacra deorum;
Inque sua constans est Domitilla fide;
Submittitque caput juvenis Pancratius ensi.
Si vis cum Sanctis vivere, disce pati.

Applicatio moralis.

Ille triumphabit cum Christo glorificato,
Qui fuerit socius cum patiente crucem.
Ipse crucem Jesus tulit, an tu ferre recuses,
Cum tua sit per eam rapta redemta salus? —
Spargit ubique suum thus, quando crematur, odorem,
Sic homo virtutem, si tribulatur, alit.
»Quemque Deus natum castigat suscipiendum,
An tu solus ab hoc excipiendus eris?
Sed si de virgis pungentibus excipiaris,
Nec quoque natorum sorte fruere Dei«. S. Aug.

Eulogium 12.

Flos omnis *floris*, perpulchri Mater *amoris*,
Fac, flammis *dignis* divi mens ardeat *ignis*.

Axioma.

Ira modum *nescit*, stultis in corde *quiescit*,
Reddit *deliros* et gravis ira *viros*.
Dum fines *nescit*, semper vesania *crescit*,
Nos miseros *reddens*, dira cruenta *metens*.

Dies 13. Maji.

St. Joannes, dictus Silentiarius, C.

(Totos novem annos in specu silentio transegit.)

Qui novies plenum dum sol terit aureus orbem,
  Ascetes tacito conditus ore silet;
Dignus is est, cujus taciturna silentia nullo
  Garrula desistat tempore fama loqui.

Solitudo.

Garrula lingua sibi non raro gignit amara,
  Osque loquens modicum gaudia pacis habet.
Ex hominum turba sine noxa nemo redibit,
  Hinc ne deficias, dilige stare domi.
Dilige stare domi cum Sanctis saepe loquendo,
  Qui tibi per libros dicere multa solent.
Imo Deus loquitur solum cum corde latente,
  In turbis hominum lingua superna tacet.

Eulogium 13.

Virgo potens *Christi*, nunquam violata *fuisti*,
Torquens *serpentis* caput et spes ultima *gentis*.

Axioma.

Quam canibus similis fit fraticida *Cainus*;
Interjecto n mox nascitur ecce *caninus*.

Dies 14. Maji.

I.

St. Bonifacius M.

(Turpis vitae poenitens eluit sanguine labem.)

En, merito, casti qui prodigus ante pudoris,
Prodigus effusi sanguinis ille fuit.

II.

St. Victor et Corona MM.

Non poterant melius consortia nomina jungi,
Nam bene Victori juncta Corona fuit.

Dolor de peccatis.

I.

Fortius est medicamen, ubi magis ulcera turgent,
Par sceleri facto convenit esse dolor.
Dulces sunt lacrymae magis in plangente reatus,
Quam sunt deliciae, quas dare drama potest. S. Aug.

II.

Militis ars hominis praesens est vita gerentis
Proelia; vincenti justa corona datur.
Spes animum firmat, precibus Deus arma ministrat,
Gratia continuat, mors pia finit opus.

Eulogium 14.

Lucifer es *bellus*; lustratur lumine *tellus*,
Nuntius *aurorae*, si surgit ab aequoris *ore*.

Axioma.

Murmura *decedant*, ne cor mala murmura *laedant*;
Nec, rixarum *fax*, sit tibi lingua *dicax*!

Dies 15. Maji.

St. Isidorus, Agricola, C.

Quando sacras orat supplex Isidorus ad aras,
Angelus ejusdem munere functus arat.
Hic versando solum, conversando alter in astris,
Mutavere suas hac ratione vices.

Benedictio.

Ni benedicat agrum Deus ipse Creator agrorum,
Frustra sudando semina tradis agro,
Quod natura negat, praestat benedictio coeli,
Quam precibus poteris conciliare tibi.
Auctor naturae solus dat fertilitatem,
Nec labor aut sudor quid valet absque Deo.
Hinc prius ad Dominum mundique solique recurre,
Tunc uberes fructus campus agerque feret.

Eulogium 15.

Salve stella *poli*, quae luces proxima *soli!*
Mater ave, *miris* distincta coloribus *Iris;*
Es pacis *menti* pia nuntia, crimina *flenti.*

Axioma.

Non animo *tristi* poenam cape, quam *meruisti!*
Fer patienter *onus*, si cupis esse *bonus!*

Dies 16. Maji.

St. Ubaldus Episcopus.

Ubaldus quis sit, miracula multa loquuntur;
Gratus erat coelo, terribilisque stygi.

Miracula.

Omnipotens potuit naturas condere multas,
An mutare nequit, si velit Ipse statim?
Si tibi non notae sunt causae prodigiorum,
Non tibi de mundo plurima nota scias.
Contra naturam numquam miracula fiunt,
In mundo fiunt cuncta volente Deo;
»Estque Dei, rerum mundi natura, voluntas,
Contra quam nihil est, fit fierique potest.
Contra naturum nil fit, fierique videntur
Contra naturam cognita sola tibi«. S. Aug.
Contra naturam non sunt miracula, sed sunt
Alta magis tenui cognitione tua.

Eulogium 16.

Hortus *conclusus*, mortali non pede *tusus*,
Es dives *florum* vas et virtutis *odorum.*

Axioma.

Per versus fies *perversus* lector iniquos;
Musa pudica *docet*, sed vitiosa *nocet.*

Dies 17. Maji.

St. Dypna V. M.

Pura pudicitiae serves ut lilia, Virgo,
Tota verecundi sanguinis imbre rubes.
Rite tuos flores hoc vulneris imbre rigasti,
Marcent, si nullo lilia rore madent.

Vigilantia.

Daemonis impuri nos retibus angimur omnes.
Hinc vigiles omnes esse necesse patet.
Sensus custodi, cordis penetralia claude,
Jejunans humili corde precare Deum.
Namque, creaturam de terrae pulvere factam,
In coeli solio posse sedere suo,
Plus dolet ac picis fornax et sulphuris ardor,
Et magis ac horrens tota gehenna foco.
Hinc desiderio vetus ille peruritur hostis,
Ut queat humanum perdere morte genus.

Eulogium 17.

Es vellus *latum*, Gedeonis rore *rigatum;*
Rore rigare *velis* cor coeli, Virgo *fidelis.*

Axioma.

His es *delusus*, quorum tibi dempseris *usus;*
Functo nil *praestat*, tibi nil post funera *restat.*
Vir sapiens *spernit*, quidquid mutabile *cernit;*
Omne, ad quod *tendit*, coelesti lumine *pendit.*

Dies 18. Maji.

St. Venantius M.

(Post superatam belluarum rabiem, igne pectori admoto aduritur.)
(Jurisperitorum speculum.)

Victima non poterat, neque sanctior ara parari,
Victima cor, pectus Martyris ara fuit.

Vita perpetua.

Si quis perdiderit vitam pro nomine Jesu,
In coeli regno rursus habebit eam.
Felix Paulus erat, cum coeli gaudia vidit,
Sed magis in vinclis ille beatus erat.
Gaudet in adversis, qui pensat gaudia coeli,
Certus, ibi nullum se reperire malum,
Non timor est illic mortis, sed laetitiarum
Vitae perpetuae certa manensque fides.

Eulogium 18.

Justitiae *lucens* speculum, sacra jura *reducens*
Juris et aequa *gerens*, injusti noxia *terrens*.

Axiomata.

I.

Audito *nummo*, quasi viso principe *summo*,
Dissiliunt *valvae*, nihil auditur nisi: »*salve!*«

II.

Noli pannosum contemnere, si bonus, *irum*,
Si malus est ditem magnificare *virum*.

Dies 19. Maji.

I.

St. Petrus Coelestinus Papa.

Sumserat invitus, qui sponte reliquit habenas;
Nec minor est posita, quam fuit ante, toga,
Quamlibet in lustris lateas, illustria reddent
Illustrem in latebris te tua lustra tuis.

II.

St. Ivo C.

(Jurisperitorum speculum.)

A »Juvo«, sancte Pater, nomen traxisse videris,
Oppressos calamo, re, prece, voce juvas.

Applicatio moralis.

I.

Despice splendorem, sunt ardua vincula mundi,
Falsas delicias et bona falsa parat.
Sunt incerta simul nec multum gaudia durant,
Sed dolor est certus continuatque diu.

II.

Omnes a Domino sumus una creata caterva,
Mutuus hinc omnes jungere debet amor.
Haec numquam posset tranquilla vivere pace,
Si caedes, odium, rixa dolique forent.

Eulogium 19.

Es Judith *fortis*, propellens agmina *mortis*,
Esther, quae *fastum* perversi vincis et *astum*;
Es vas *virtutis*, nova foederis Eva *salutis*.

Axioma.

Quod festo *netur*, nihilari saepe *videtur*;
Percupido *nummi* deest benedictio *summi*.

Dies 20. Maji.

St. Bernardinus Senensis, C.

(Ejus corpus incorruptum adhuc Aquilae servatur.)

Divum, quem nullis alias Venus ignibus ussit,
Nullus in exanimi debuit esse cinis.

Luxuriae lues.

Non animam tantum sed corpus rodit, et omnes
Vires luxuriae perniciosa lues.
Unde nihil magis est, quam tetra libido cavendum,
Quam solet hic et ibi certa ruina sequi.
Qui cor luxuria gravat, in lethale barathrum
Mergitur, ut navis merce gravata nimis.
Probrum lascivum praeit obprobriisque stipatur,
Festino properat mortis ad antra pede,
Exque scyphis roseis veneris bibit atra venena,
Qualiter ex cyatho toxica musca bibit.

Eulogium 20.

Vis tua *defendit*, qui fortis ad aethera *tendit;*
Spicula, quae *fundit* mors atrox, vis tua *tundit;*
Quae tua lingua *petit*, mox diva potentia *reddit.*

Axioma.

Spes dat *solamen*, si torquet cor *cruciamen;*
Ultima *linquentis* spem desperatio *mentis.*

Dies 21. Maji.

St. Hospitius C.

(In vinculis detenti putrida et a vermibus depasta caro post mortem rejuvenescit.)

Putruit in vivis et ne post funera rodant,
Se facit Hospitius vermibus hospitium.
Arceat hic vermem, qui pectore fixus in imo
Mordet et aeterno non valet igne mori.

Judicium temerarium.

Jus tibi damnandi fratrem non competit ullum,
Hoc judex summus jus Deus unus habet.
Hinc si de vitiis aliorum sermo tenetur,
Explora, num sint haec aliena tibi.
Erga tui fratris naevos non durior esto,
Imo carpe magis propria menda tua.
Sis aliis aequus, justus, judexqe benignus,
Ut te judicium mite sequatur ibi.

Eulogium 21.

Fons, quem *signavit* Deus ipse, et Filia *David*,
Pugnis *exortis* turris Davidica *fortis*,
Vim praebens *menti*, dans propugnacula *genti*.

Axioma.

Laetificat *multum* dives promissio *stultum;*
Qui leviter *credit*, deceptus saepe *recedit.*

Dies 22. Maji.

St. Basiliscus M.

Jam pugil imbuerat rubefactam sanguine terram,
Cum videt ante suos ire fluenta pedes.
En, Basilisce, tuos ubi saevos vidit agones,
Te lacrymis flevit terra miserta tuis.

Christi sequela.

Non trepidat justus, pugionum spicula cernens,
Sed magis a justi judicis ense tremit.
Qui non vult odium cum Christo ferre, caputque
Spernit, ab ipsius corpore sectus erit.
Qui non est mecum, contra me noscitur esse;
His Christi verbis nonne pavescat homo?
A Domino solum comitatus ad astra volabis,
Si tamen haud renuis bajulus esse cruce.

Eulogium 22.

Certa Deo *functis* spes, vas venerabile *cunctis*,
Samsonisque *favus*, dans mellis munera, *flavus*:
Te, precor, et *mentes* dulcore repleto *colentes*
Ut subeat *cordis* mundi intima nausea *sordis*.

Axioma.

Tempore *felici* multi tibi semper *amici*;
Dum fortuna *perit*, nullus amicus *erit*.

Dies 23. Maji.

St. Desiderius, Episcopus Viennensis in Gallia, M.

(Jussu Theodorici regis Brunchilde impellente occiditur.)

En Desiderius flagrans desiderat astra;
Rex desiderium dirus adimplet ei.
Sed desiderium populi non abstulit ille;
Tollere non ullus, qui potuisset, erat.

Deliciae perversae.

Nugas, delicias mundanas computat omnes
Justus, et in Christo mortuus esse cupit.
Hamo protenso pisces piscator inescat,
Hac satanas homines arte doloque capit.
Nam quia deliciis animis mortale venenum
Indit, in his certae germina mortis alit.
Inter delicias tamen est pax mortua vera,
Quam nisi mens recti conscia, nemo dabit.
Contemplare tua coelestia mente frequenter,
Tunc in pace tuum cor requiescet ibi.

Eulogium 23.

Coeli, quae *caris* se pandit, porta *vocaris;*
Ut nobis *valvae* pateant, domus aurea *salve,*
Mira referta *bonis,* coelorum splendida *donis.*

Axioma.

Alterius *menti* conformia tu quoque *senti;*
Non paribus *telis* tundere tela *velis.*

Dies 24. Maji.

St. Vincentius M.

Convenit hoc nomen toto tibi jure, Beate;
  Poenarum victor ponderis omnis eras.
Det Deus, ut nostrum quoque sit Vincentius omnis;
  Spes, en, vincenti certa salutis erit.

Angelus tutelaris.

Qui sua certavit certamina justa, bravium
  Accipit et nullus fur rapit illud ei.
Ut tamen ad metam securus currere possit,
  Angelicum socium debet habere suum.
Hic juvat orantem te, defert vota precesque
  Ante Dei sedem, jungit et ipse suas.
Gratia nulla datur nobis, quin Angelus ipse
  Participet precibus, subsidioque juvet.
Nocte dieque, loco quocumque juvare paratus,
  Non ullo prorsus tempore solus eris.
Est igitur quodcumque tibi certamen agonque,
  Faustus et ad metam fortiter ire potes.

Eulogium 24.

Es solium *Regis*, quo facta es regula *legis;*
Solem nube *tegis*, quae prima es Filia *Regis;*
Es tutela *gregis*, cujus cibus est caro *Regis.*

Axioma.

Est panis *rarus*, quem vir tibi donat *avarus*,
Et minor est *mica*, quam dextera donat *amica.*

Dies 25. Maji.

St. Urbanus Papa, M.

Non equidem miror, quem sanctior orbis adorat,
Si mandante sacer Caesare Pastor obit.
Non bene conveniunt Pastor cum Caesare, Pastor
Urbanus, Caesar vero Severus erat.

Urbanitas.

Christicolas decet urbanos, sed et esse severos,
Ambo queunt certis casibus esse boni.
Praestat in injustos et pravos esse severum,
Urbanumque bonis omnibus esse decet.
Imo saepe nimis non proderit esse severum,
Et magis urbanus mos juvat atque favet.
Christus nos humiles et mites praecipit esse,
Haec actus nostros regula sancta regat.

Eulogium 25.

Es lux *aurorae*, solis procedis ab *ore*,
Surgens absque *mora*, — non hac felicior *hora*.
Ad lumen *ducis*, solis praenuntia *lucis*,
Qui tibi mente *pia* voveant se, Virgo *Maria!*

Axioma.

Insons argueris? benefactis verba *refelle!*
Re sine felle potis convicia cuncta *repelle!*

Dies 26. Maji.

I.

St. Philippus Nerius, C.

Dum cor flammivomum spatiis arctatur iniquis,
Ut solet angusto fornice flamma premi;
Costarum fregit contexta repagula victor,
Carceris impatiens imperiosus amor.

II.

St. Eleutherius P. M.

(Sub Commodo Imperatore necatus.)

Cum caput immensi tollas incommodus orbis,
Quam male conveniens, Commode, nomen habes.

Applicatio moralis.

I.

Si te delectant homines plusquam Deus ipse,
Tunc te corque tuum non regit ullus amor.
Nam quicumque Dei veraciter ardet amore,
In solo quaerit gaudia cuncta Deo.

II.

Christi nomen habes, nec Christum diligis ipsum,
Hac paradoxa magis res nequit ulla dari.

Eulogium 26.

Est pacis *portus* felix hic Virginis *ortus*,
Terror *serpentis*, spes et fiducia *gentis*.
Ipsi qui *credit* se, nox de corde *recedit*.

Axioma.

Foemina dum *plorat*, dum rusticus ebrius *orat*,
Lusor dum *jurat*, nulla haec devotio *durat*.

Dies 27. Maji.

St. Maria Magdalena de Pazzis.

Cum Catharina fores, voluisti Magdalis esse,
Macte animo, non te poenitet esse, quod es.

Nomen et omen.

Facta virum faciunt, non magnum nomen avorum,
Clarus virtutis lumine magnus erit.
Ille suum nomen condigno portat honore,
Cujus vita boni nominis acta facit.
Sancti nomen habes, jam factis illud honora,
Quae Sanctum pariter condecorasse vides.
Res absurda nimis, splendescere nomine Sancti,
Quod tamen et mores et mala vita nigrant.
Quod loquitur nomen, pariter quoque vita loquatur,
Tunc velut ornatum nomen et omen habes.

Eulogium 27.

Almis nomen *ave* psalmis perdulce, *suave!*
Terras atque *melos* mulcet dulcedine *coelos;*
Si sonat hoc *nomen*, felix est omnibus *omen.*
Cordibus omne *bonum* manat de nomine *donum.*
Ipsi, quod *praebet* bona tot, veneratio *debet.*

Axioma.

Si desit *nervus*, languet certamine *servus*,
Pauper ubique *jacet*, si sua bursa *tacet.*

Dies 28. Maji.

St. Germanus, Parisiensis Episcopus.

Justitia qui germanus, Germane fuisti,
Ora, ut virtutum germina corda gerant.

Fidei donum.

Odit justitiam, qui Christi dogmata spernit,
Quae sunt justitiae fortia fulcra nimis.
Virtus justitiae fidei fulcimine perstat,
Haec ubi destruitur, protinus illa ruet.
Divitiae nullae, thesaurus nullus honorque
Est pretio major nobiliorque fide.
Virtus nulla datur fidei sine lumine vera,
Absque fide nullus justificatur homo.
Eripit elisos, caecos illuminat, aegros
Sanat et ad coelos monstrat et aptat iter.
Infelix quisquis fidei non lumine gaudet,
Caecus ad exitium perniciemque ruit.

Eulogium 28.

Quod beat omne *bonum*, manat de Numine *donum*,
Virginis est *vivus* cuncti intercessio *rivus*.

Axioma.

I.

Quisquis amat *ranam*, ranam putat esse *Dianam*.
Quot Majo *flores*, tot sunt in amore *dolores*.

II.

Te non *exalta!* petiit qui primitus *alta*,
Lucifer ipse *fuit*, primus ad ima *ruit*.

Dies 29. Maji.

St. Maximus, Episcopus Veronensis.

Nominis es dignus, cum Praesul maximus esses,
Omni virtutum germine cor nituit.
Gloria virtutum tibi sit, non gloria mundi,
Ante Deum si tu maximus esse cupis.

Humilitas.

Quando te minimum reputas in simplice corde,
In coeli multis ordine major eris.
Quidquid habes, dono Dominus tibi praebuit omne,
Competit hinc omnis gloria lausque Deo.
Mundi contemtus, nullum contemnere fratrem,
Temnere seipsum, semper amare probra;
His quatuor punctis nucleus virtutis habetur,
Nec virtus, uno deficiente datur.
Si vis alta Dei comprendere, mente prehende
Infima, quae Christo grata fuere magis.

Eulogium 29.

Ostendens *miram* vim, flectens Numinis *iram*,
Fac, tua, *placatum*, qui suxerat ubera, *Natum*.

Axioma.

I.

Nil manet *occultum*, nihil unquam restat *inultum*.
Quidquid nix *celat*, solis calor omne *revelat*.

II.

Vas omnis *sordis* vesana superbia *cordis*;
In vitiis *crescit* mens, quaeque superba *tumescit*.

Dies 30. Maji.

St. Felix, Papa, M.

Non poterat Felix fieri felicior, illi,
Qui jam tres habuit, quarta corona data est.

Patientia in adversis.

Taedia cur horres, in vita resque molestas?
Est rerum terrae causa cupido tua.
Sponsio certa datur patienti rebus in arctis,
Quod bona sint illinc magna parata sibi.
Christus consilium dat: Si vis vivere felix,
Disce crucis pondus semper amore pati.
Vita bobus remanet, qui sunt ad aratra statuti,
Quos lanio caedet, plena sagina datur;
Sicque bonis mundi perversi semper aluntur,
Electique crucis ferre jubentur onus.
An quis in electos numeretur an inter iniquos,
Rebus in adversis nosse cuique licet.
Illi constanter tolerant adversa crucemque,
Isti blasphemant, ni sibi cuncta favent.

Eulogium 30.

Aerumnis *fessus*, vitiorum pondere *pressus*,
Plorans *excessus*, ad Matrem dirigo *gressus*,
Me tibi mente *pia* commendans, Virgo *Maria!*

Axioma.

Qui miser est, nec *amas*, »iri discedite!« *clamas.*
Vis ut eant *inopes*, ire sinas in *opes!*

Dies 31. Maji.

Ss. Cantius, Cantianus et Cantianilla, Fratres, MM.

Sunt gemini fratres, soror illis unica, claram
Pro Christo unanimes qui subiere necem.
Quos ligat infusus sanguis, sanguisque profusus,
Hos consanguineos nemo fuisse neget.

Communio sanctorum.

Omnes in Christo fratres sumus atque sorores,
Coelestisque Patris nos ligat unus amor.
Omnes una cibat communis mensa dapalis,
Quilibet est nostrum suavis imago Dei.
Haeredes vitae sumus aeternaeque salutis,
Omnibus est unus finis et una salus.
Sanctis in coelis animisque piantibus igne
Vinclo communi nos ligat almus amor;
In coelis omnes tandem copulabit in unum
Sanctus et aeternus pastor ovile suum.

Eulogium 31.

Es Judith *fortis*, propellens agmina *mortis;*
Exitium *mentis* gentes a fraude *petentis*
Pollens *arcendi*, cui fraudes mille *nocendi.*

Axioma.

Inter se minimo distant discrimine *lis vis;*
Nam genitrix est *vis*, filia stridula *lis.*

Mensis Junius.

Longa dies longam mihi signat in aethere lucem;
Est aeterna dies absque labore quies.


Condidit arcanum Salvator opusque stupendum,
Ut nobis vitae potus et esca foret.

Dies 1. Junii.

I.

St. Firmus M.

Miraris, nullo cruciatu hunc posse moveri
  Non prece, non pretio, non nece, Firmus erat.

II.

St. Secundus M.

Mergeris in Tiberim Romae, cursu ipse secundo
  Defluis ad coelos, Ostia namque petis.
Prima dies Juni secum fert ecce secundum;
  Primus virtutum nempe Secundus erat.

Applicatio moralis.

I.

Qui stat in adversis immobilis, omnia portans,
  Non pavet in dirae mortis agone suae.
Si cupis, ut mortis tibi sit placabilis hora,
  Saepius assidua mente memento mori.

II.

Aspera ne metuas mala mortis, dummodo recta
Spiritus et tuta pergat ad astra via.
Pungitur a nullis spinis Deitatis amator,
Quando suae sentit mortis adesse diem.
Ex quo Salvator calicem potavit amarum,
Justis solamen mortis imago parit.

Axioma.

Grana soli *crescunt*, pluviae si rore *madescunt;*
Virtus *florescit*, si coeli rore *madescit.*

Dies 2. Junii.

St. Erasmus M.

Cur, Erasme, litas non cor sed viscera Christo?
Cor mihi dudum, inquis, sustulit ipse Deus.

Pax cordis.

Omnis laetitiae sedes est cellula cordis.
Sed cor non quaevis laetificare valet.
Cor nequit ullius satiare cupidinis aestus,
Conditur in solo Numine grata quies.
Sola quies recreat, quam dat mens conscia recti,
Irritat et cruciat culpa cor omne gravis.
Omnes unius fidei debent et habere cor unum,
Sic, Deus unus ubi, mens sit et una simul.
Sic animi numquam divisi vivere debent,
Quos unum corpus nectit et una fides.
Pax adamata mihi! te prae mortalibus opto,
Osculor, amplector, te nec abesse volo.

Axioma.

Deficit *ambobus*, qui vult servire *duobus*.
Si quis amat *Christum*, mundus non diligit *istum*.

Dies 3. Junii.

St. Pergentinus et Laurentinus fratres MM.

(Saxeam Jovis statuam sua prece in modum cerae liquescere coegerunt.)

En statuae ceu cera fluunt, quae liquitur igne,
Cum primum accensas fudit uterque preces.
Tu quoque supplicibus, quicunque es, fundere votis
Et Bacchi et Veneris numina bruta potes.

Via ad perfectionem.

Funde preces humiles, ardentes, assiduasque,
In Christique tuas nomine funde preces,
Gratia sanctificans, spes firma sit insuper, atque
Respiciant animae spirituale bonum.
Illico nemo potest apicem contingere recti,
Scandens non volitans est gradienda via.
Et pedibus binis, meditans oransque gradatim,
Ad summum scalae denique scande gradum,
Naevos nosse facit meditatio, gratia nacta
Ex precibus, casus non sinit esse novos.
Scisque viam meditans, precibusque meabis in illa,
Illa pericla docet, praepediuntque preces.

Axioma.

Bacchus et *argentum* mutant mores *sapientum*.
Alea, vina, *Venus*: tribus his fis semper *egenus*;
Quorum victor *eris*, precibus si vincere *quaeris*.

Dies 4. Junii.

St. Quirinus Rex M.

Cede, Quirine, locum Illirico, Romane, Quirino
Muros aedificas urbis, at iste fidem.

Fidei donum.

Vera fides lux est veniens de Numine nobis,
Excutiens tenebras mentis, ut igne calens.
Non meritis nostris, sed solo munere grato,
A bonitate Dei lux datur ista tibi.
Ingerit hoc lumen virtutem, qua sapienter,
Quae docuit Jesus, vera tenere queas,
Quoque simul, quae nos Ecclesia credere mandat,
Firmiter ac tota credere mente velis.
Hoc lumen, donumque Dei datur istaque virtus,
Baptismi liquidis quando lavaris aquis.
Hisce fides paucis, quid sit, jam nosse licebit,
Hanc cole, si Christi servulus esse cupis.
Exteriora fidem debent ostendere facta,
Nil valet interius sola retenta fides.
Est sublime fides donum, pretiosius auro,
Et nihil in terris aequiparatur ei.

Axioma.

Rex sit justitiae fidus sit et integer *index!*
Est gravis ipse Deus, ni sit, de crimine *vindex.*

Dies 5. Junii.

St. Bonifacius Apostolus Germaniae M.

Anglia te genuit, Germania laeta recepit,
Martyrii palmam Frisia culta dedit.
Fulda habet exuvias, colit alta Moguntia patrem.
Astra tenent animam, gens Alemanna fidem.
Praedicat autorem te grata Juvava cathedrae
Totaque Teutonidum terra Boni-facium.

Amor Dei.

Jam natura jubet, ratioque Deique voluntas,
Praeceptumque simul, nos adamare Deum.
Quod lex ista jubet recta ratione modoque,
Juxta mandatum fiat amoris opus.
Ex anima, de mente sua, de corde suisque
Viribus ad Numen tendere debet homo.
Haec ita perficiet, si dirigit omnia sensa,
Jugiter ad Numen votaque cuncta sua.
Sermonesque suos, actus operumque labores
Pro solo semper patrat amore Dei,
Cunctaque ferre velit potius mortemque subire,
Quam per peccatum laedere jussa Dei.

Axioma.

Pax cordis *puri* gaudet de sorte *futuri*;
Absque Deo *mentes* sunt omni pace *carentes*;
Absque Deo *laetum* cor non est neve *quietum*.
Vera est pax *cordis*, si mens est libera *sordis*.

Dies 6. Junii.

St. Norbertus Episcopus Magdeburgensis.

Totus divino Norbertus ab igne calebat,
Inque reos tonuit fulmine, voce potens.
Haereseos victor, pater ordinis, Archique-Praesul,
Exortes fidei fulminat ille novos.

Haeretici vitandi.

Haereticum vita, qui verbis suavibus utens,
Viro perfidiae perdere corda studet.
Hunc vocat infensum Jesus falsumque prophetam,
Contectumque lupum vellere lenis ovis.
Obblaterat multum, commiscet vera dolosis,
Ut capiat justum, decipiatque probum.
Si vis haereseos viro non contemerari,
Non capiat mentem gloria vana tuam,
Insuper esto Deo gratus fidei pro munere verae,
Haereticoque comes naviter esse cave.

Axioma.

Tutius est *vere* morsum fugiendo *cavere*,
Quam prope *serpentes* procumbere virus *habentes*.
Qui fumo *laudis* te mulcet, retia *fraudis*
Extendit, *cura*, ne fias praeda *futura*.

Dies 7. Junii.

St. Paulus Episcopus Constantinopolitanus M.

Constantinopolis genuit te, Paulus erasque
Praesul et erudiens dogmata sancta Dei;
Saepius, haereticis osus, fugitivus ab urbe,
Martyrio tandem junctus eras superis.

Fidei propagatio.

Dici prodigium fidei diffusio debet,
Nam nova religio nullibi nota fuit.
Omnes hinc reliquas pro falsis quisque tenere
Debuit et solam credere porro novam,
Quae pugnare putant mysteria cum ratione
Debent a rudibus credere docta viris.
Debuit hunc cultum ceu stultum quisque negare,
Christum morte sciens oppetiisse crucis.
Sensibus obsistit, diffunditur atque docetur
A rudibus pariter, pauperibusque viris.
Haec magis horrorem, quam religionis amorem,
Assuetis vitiis cordibus incutiunt.
Et tamen est cursu celeri diffusa per orbem;
Hanc ideo veram quis neget esse fidem? —

Axioma.

Hic offendit *herum*, qui vult edicere *verum*.
Laudat *adulator*, sed non est verus *amator*.

Dies 8. Junii.

St. Victorinus C.

(In solitudinem secedens, ibique a daemone illusus, triennali supplicio scelus luit.)

Vix unam ascetes peccat male proditus horam,
Suppliciumque brevis culpa trienne trahit.
At nos continuis sontes delinquimus horis,
Una tamen nostrum vix luit hora scelus.

Poenitentia.

Qui redit ad Dominum, quem per delicta reliquit,
Coelestemque dolet deseruisse Patrem,
Confessusque studet laesum per crimen honorem
Compensare Deo, promptus amara pati,
Qui tandem fratri quoque damna relata resarcit,
Censetur merito, poenituisse bene.
Non est extracto sanata mucrone cicatrix,
Assiduam curam postulat illa diu.
Crimine confesso nemo sat poenituisse
Credat, justus enim justificetur adhuc.

Axioma.

Est virtus *vere* semper malefacta *cavere;*
Ut mala *declines*, felices respice *fines.*

Dies 9. Junii.

I.

St. Columbus C.

Ecce Columbus hic est, nomen bene convenit illi;
Implorando Deum nam gemit assiduo.

II.

St. Pelagia V. M.

Dejicit ex alto se virginitatis amore,
Virginis at lapsus saltus ad astra fuit.

III.

Ss. Primus et Felicianus MM.

Martyr uterque manu statuam sternebat Heraclis;
Herculis est decimus tertius iste labor.

Applicatio moralis.

I.

Omnipotens Dominus Deus est ideoque vereri
Affectu summo cordis oportet eum.
Optimus adjutor, cunctorum fonsque bonorum,
Ipsi corde proin grata referre decet.
Ad vitam duplicem sunt nobis multa necesse,
Quae Deus ad nostras dat tribuitque preces.
His igitur justis causis orare tenemur,
Devotoque Deum corde rogare Patrem.

II.

Pars gregis est Christi clarissima virginitatis,
  Quae gerit in regno lilia sola Dei.
Virginitas sequitur, quocumque perambulat, agnum,
  Cantica non alii, quae canit ipsa, canunt.
A sola voluit Christus quoque Virgine nasci,
  Virgineam matrem convenit esse suam.

III.

Mens idola colit stulti turpissima saepe,
  Affectus pravos indomitosque suos.
Hos colit hosque velut sua numina pronus adorat,
  Hisce suas vires, his sua thura litat.
Hujus finis erit mentis cordisque ruina,
  Aeternus luctus, perpetuusque dolor.
Haec idola stude forti prosternere dextra,
  Strenuus athletes, robora dante Deo.

Axioma.

Clausis ut *fortis* penetraverat omnia *portis*
Christus, sic *plorans* coelos penetrabit et *orans*.

Dies 10. Junii.

St. Margaritha Scotorum Regina.

(In pauperes mire prodiga.)

Semina non pereunt, quamvis periisse putentur,
Sed segetes apto tempore reddit ager.
Deperit in reliquos quidquid dependitur usus,
At quae pauperibus dantur, habentur opes.

Cura pauperum.

Quod das pauperibus, tibi das, tibi fructificabit,
Proque datis redeunt centupla dona tibi.
Nullum sperne, licet minimae sit plebis, egenum,
Est homo, plus noli quaerere, parque tibi.
Proximus omnis homo tuus est, et amicus et hostis,
Est et uterque tuo dignus amore pari.
Omnibus est commune, bonis bene velle, sed uni
Christicolae mos est, et bene velle malis.
Quas Christi causa miseris donabis egenis,
His tibi perpetuas conciliabis opes.
Da panem vacuo, sitienti porrige lympham,
Ut riget haec animam, pascat ut ille tuam.

Axioma.

Inter opes *gentis* memor esto pane *carentis;*
Nam persaepe *perit*, quod mens industria *quaerit.*

Dies 11. Junii.

St. Barnabas Apostolus.

A Paulo socio discedis, Apostole, paulum,
Fidus ei socius nunc ibi semper eris.

— —

Cura pro salute proximi.

Qui fuerit Christi flentis sociusque docentis,
Hic consors vitae perpetualis erit.
Unde crucem portans, exempli lumine lucens
Sis tibi sis aliis dux, via, luxque simul.
Ante fores coeli noli te sistere solum,
Petrus enim soli vix aperire volet.
Hinc conare tibi socios adsciscere plures,
Gaudet enim plenis retibus ipse Petrus.
Nil est frigidius solum doctore loquace,
Histrio, non doctor dicitur iste magis.
»Quisquis justitiae factis splendescere curat,
Est aliis urens, clara lucerna sibi«. (S. Greg.)
Fulgur non tonitru flammas accendit, itemque
Exemplis capiunt robora verba bonis.

———

Axiomata.

I.

Consociare *probis*, quorum vestigia *vobis*
Omni macte *die* sunt imitanda *pie*.

II.

Fidus *thesauro* comes est et carior *auro*,
Qui non *deflectit*, quem quondam sors mala *plectit*.

Dies 12. Junii.

St. Basilides M.

Ferreus innocuos laniat tibi scorpius artus;
Exanimum corpus cum datur esca feris,
Bellua non tetigit, quem mendax scorpio laesit,
Mitior est fictis sic fera vera feris.

Martyrium patientis.

Si tibi vera fides est, pro qua prodere vitam
Cogeris, et totus sis dare promptus eam;
Si fueris constans in poenis macte ferendis,
Proque Dei pateris mortis honore mala;
Nec gravis ulla tuum sceleris cor culpa remordet,
Aut confessus eam diluis atque doles:
Tunc est martyrii tibi clara corona parata,
Nec mala torquebunt te, neque luctus erit.
Virga resecta fuit miserentis ab arbore Christi,
Caesus ab hac virga maxima lucra capit.
Spargit ubique suum thus, quando crematur, odorem,
Signum virtutis, qui tribulatur, habet.

Axioma.

Si crucis *agnoscis* pretium, veniamque *reposcis*,
Si vis esse *bonus*, fer patienter *onus*.

Dies 13. Junii.

St. Antonius de Padua, magnus Thaumaturgus.

Antoni, miseris praestas solatia mille,
Quotidieque tuam sentit egenus opem.
Perdita praecipue dominis quam plurima reddis;
Servatum Domino me quoque redde meo.

Munificentia.

Christiades ornans est munificentia virtus,
Qua quis pauperibus praestat amanter opem,
Deque bonis dat dona suis ex corde libenter,
Quod pro fortunae conditione licet.
Dat bene dat multum, qui dat cum munere vultum,
Accipiet pauper restituetque Deus.
Vir justus dat cuique suum, sed tu dare debes
Divitibusque suum, pauperibusque tuum.
Quas miseris lacrimas vivens abstergere curas,
Largiter erumpent, cum moriturus eris.
Pauperibus dones, ut, quum tua lingua tacebit,
Pro te millenis vocibus ora sonent.

Axioma.

Ignis *scintillae* lingua est par, quae mala *mille*
Non bene *servatae* possunt producere *late.*

Dies 14. Junii.

St. Basilius Episcopus.

Basilius (ceu prisca ferunt) vix ossibus haesit,
Nil caro, si vivit, spiritus intus habet.

Vera patria nostra.

Patria nostra manent et erunt habitacula coeli,
In quibus est summi regia laeta Dei.
Quo sunt electi dignati cernere vultum
Numinis, et merces est Deus ampla nimis.
Qui cupit has intrare domos, se mortificare
Debet, et in fidei lumine ferre crucem,
Et calcare pedum Christi vestigia, donec
Adveniet tandem mortis amata dies. —
Ad patriam graditur felici morte perennem,
Est tamen haec felix, si bona vita fuit.
Stultus felicem patriam sibi quaerit in orbe,
Sed sapiens illam quaerit in arce Dei.

Axioma.

Pone gulae *metas*, ut sit tibi longior *aetas;*
Esse cupis *sanus*, sit tibi parca *manus.*
Ex magna *coena* stomacho fit maxima *poena;*
Ut sis nocte *levis*, sit tibi coena *brevis.*

Dies 15. Junii.

St. Vitus M.

Vite, velut vitulum te vult offerre tyrannus,
Sed dulcem Christo te facit olla cibum.

Nobile plasma Dei.

Offer cuncta Deo, tua vota, tuosque labores,
Teque tuumque dicans offer amanter ei.
Cum sis plasma Dei tam nobile, nemo meretur,
Te velut esse suum, ni Sator ipse Deus.
Esse Dei summi, tua gloria, splendor honorque,
Unde tuum summus pectus adurat amor.
Esse Dei, quid erit, nisi consors esse perennis
Vitae, quae nullis sit subeunda malis.
Esse Dei summi te, non sis immemor unquam,
Indignumque nihil talis honoris agas.

Axiomata.

I.

Curae vita *forum*, vas est pixisque *dolorum;*
Quod carum *rarum* laetitiaeque *parum.*

II.

Flos velut et *ventus* volupe fluit atque *juventus;*
Vaeh! rebus *vanis* haec si defluxit *inanis.*
Si jacet *ignavus*, spargit zizania *pravus;*
Desidis ad *postes* terrae stant hospitis *hostes.*

Dies 16. Junii.

I.

St. Quiricus Puer, M.

Trinulus occubuit pro Christi lege Quiricus,
Hoc major Martyr, quo minor ille fuit.

II.

St. Luitgarda V.

1. Sugere de Christi permissa est vulnere Virgo;
Lactavit Sponsam Sponsus hic ecce suam.
2. Haereticos contra septem jejunat ad annos;
Vult hostes Christi Virgo necare fame.
3. Vena tibi rupta est nimio Luitgardis amore;
Martyrii lictor sic tibi factus amor.

Applicatio moralis.

I.

Qua ratione potest inflare superbia vana
Cor mentemque tuam, cum nihil esse scias?
Quippe quod es, quod habes, Deus ipse dedit tibi gratis,
Et tamen ingratum te geris erga Deum.
Hac aetate tua multi virtute nitescunt,
Saepe vel in pueris est pietatis amor.
Imo non pauci pro Christo multa tulerunt
Corporis in membris dura flagella suis.
Haec si conspicias, pudeat te dicere dura,
Quae sunt pro Christo perpetienda tibi.

II.

1. Corpore nutrimur, potamur sanguine Christi,
 Redditur his animae vita salusque piae.
 Est etenim satians animam nutritio nostram,
 Spirituale bonis manna, cibusque sacer.
 Sit tibi sacra dies, in qua conviva fuisti
 Mensae coelestis, teque beavit amor. —
2. Illecebras carnis minuunt jejunia turpes,
 Jejunoque Venus non nocet igne suo.
 Corporis esca fovet quandoque negata saluti,
 Cui cibus immodicus damna creare solet.
3. Nos adamare Deum super omnia semper oportet,
 Ut cor, mens, animus totus amore flagret.
 Omnes corporeae vires animaeque laborent,
 Ut magis augescat, gloria lausque Dei.

Axioma.

Ut mare *profundis* stridet refluentibus *undis*,
Sic cor *jactatur*, mala conscia mens *agitatur*.

Dies 17. Junii.

St. Rainerius C.

(Oculum, quo male viderat, lacrymis excaecat.)

Turpi oculus praedator iter patefecit amori;
  Immodicis qui nunc defluus humet aquis.
Jure oculus periit, qui criminis extitit autor,
  Pendere commissum debuit ille scelus.

Concupiscentia carnis.

Assidue caveas muliebrem cernere vultum,
  Quo nimis accendi prava libido solet.
Multi sunt oculis cupidis in crimina lapsi,
  Immemores, oculos mentibus esse fores.
Nostra caro petulans est noster pessimus hostis,
  Interitum nobis perniciemque parans.
Jugiter in nobis est, spirituique repugnat,
  Insinuat vetitum, turbat et angit eum.
Murmurat, ebullit, disciplinamque refutat,
  Non paret, quidquid mens ratioque jubet.
Hinc vigilans, cautus, jejunans fortiter omnes
  Illecebras carnis comprime, tunde, cave.

Axiomata.

I.

Omnis amor *coecus*, non est amor arbiter *aequus*,
Nam deforme *pecus* judicat esse *decus*.

II.

Virgineum *florem* servas, servasque *pudorem*,
Otia si *tollis*, si non es corpore *mollis*.

Dies 18. Junii.

Ss. Marcus et Marcellianus MM.

Suppliciis multis constantia vestra probatur,
Libera captivo corpore lingua canit.
Pergite divini pertexere carmen olores,
Quam sit dulce mori, musica vestra probat.

Blasphemus.

Rebus in adversis mens recti conscia gaudet,
Dum blasphemat homo pravus ad omne malum.
Stultus et insanus simul est blasphemus in arctis,
Quum blasphema nequit lingua fugare malum.
Quo bona tot comedis, blasphemas ore datorem,
Quoque Deum laudas, hoc maledicis ei.
Lingua Sacramentum recipit venerabile, posthac
Non pavet haec eadem verba probrosa loqui.
Nomen adorandum Jesu, cui curia coeli
Sanctus! in aeternum, Sanctus! hosanna canit,
Quod colit in terris Ecclesia, quodque gehenna
Tota perhorrescit, non violare times?
Grande scelus, mortale nefas, ingensque reatus,
Sancta per os hominis nomina resque trahi.

Axioma.

Si bona vita *fuit*, dulcis mors est et *amoena;*
Si male vita *fluit*, mors est quam maxima *poena.*

Dies 19. Junii.

Ss. Gervasius et Protasius MM.

(Fratres martyres, parentum martyrum filii.)

Martyr uterque parens, martyr fuit utraque proles;
Sorte sua proles inclyta, sorte parens.
Martyre digna fuit proles utroque parente,
Martyre prole fuit dignus uterque parens.

Educatio.

Gaudia morigeri nati genitoribus ampla,
Sed male morati tristia multa parant.
Tradidit in natis Deus ipse parentibus hortum,
Quem tota cordis sedulitate colant.
Illi seipsos adamant natosque parentes,
Qui curant illos moribus esse bonos,
Facta suam linguam quodammodo constat habere,
Et quoque disserto clarius ore loqui.
Hinc pueri magis adtendunt ad facta parentum,
Quam quae de labiis verba venire solent.
Nempe quod auditur, non longe mente tenetur,
Sed manet obtutu visa figura diu.

Axioma.

Fructus ut arbor *erit;* quis pomum de ilice *quaerit?*
Spinae uvas *nunquam,* non malum fert rubus *unquam.*
Ut pater *incedit,* sic gressus filius *edit.*

Dies 20. Junii.

St. Silverius P. M.

Gustat in exilio Silverius ardua multa,
Et retinet patrium tempus in omne solum.

Habitacula coeli.

In terris est omnis homo peregrinus et exul,
Non habet hic certam perpetuamque domum.
Assidue curans sibi splendida condere tecta,
Negligit in coelo stultus habere domum.
Cum sit in exilio, patriam nitatur habere,
Tempore quae nullo sit peritura sibi.
Carnis enim proprius locus est haec terra, domusque,
Quam terit hic pedibus, quamque relinquet homo.
Invenietque domum, quam nullus turbo movebit,
Illuc si recto pergere calle volet.
Omnipotens nobis habitacula laeta reservat,
Quae luctans jugi strenuitate capit.

Axioma.

Est patrius *fundus*, qui transit, non tibi *mundus*;
Est mundi *civis*, qui praeterit, advena *quivis*.
Ut detur, *exora*, si funeris imminet *hora*,
Mansio *divinae* tibi vitae, quae sine *fine*
Semper *viventes* implet dulcedine *mentes*.

Dies 21. Junii.

St. Aloisius Gonzaga, C.

Flosculus est Lodoix, ebori qui concolor albet,
Quique praeit vestras lilia pura nives.
Munit inaccessos veprum custodia flores;
Flos quoque vepriculis debuit ipse tegi.

Anima immaculata.

Quum nihil est anima pretiosius immaculata,
Ipse Deus sanctus deliciatur ea.
In coelis rutilans fulgebit sideris instar,
Cinctaque laureola virginitatis erit.
Hanc parit et nutrit pia mortificatio carnis,
Ad quodcumque malum mens animusque vigil.
Hinc sunt vitandae vestes, habitusque protervi,
Otia, mollities, blandula verba mali,
Ebrietas, ususque cibi nimis immoderatus,
Et petulans oculus, foeda videre volens,
Consuetudo nimis diversi libera sexus,
Obscoenosque mala volvere mente libros.

Axioma.

Quando pudor *cordis*, nivis est et libera *sordis*,
Omni *thesauro* pretiosius est cor et *auro*.

Dies 22. Junii.

St. Paulinus Nolanus, Episcopus.

1. Tu Paulinus eras magno par omnia Paulo,
   Et si non obstet syllaba, Paulus eris.
2. Tinnula Nola tuas noli modo tundere nolas,
   Ora sacrum Mysten clarius aere sonant,
   Et satis immensum fama vulgata per orbem,
   Publica vox tanti Praesulis acta canit.

Campana.

Vox campana Dei resonans est, aere sonoro
Cor sensusque tuos ad pia facta vocans.
Nos vocat ad templum, Domini si cultus agatur,
Sive Dei verbum praeco salubre docet.
Mane monet, mediaque die, venienteque nocte,
Ut Christi matrem cum pietate colas.
Si moreris, luget, comitatur funus ad urnam,
Ardentesque movet fundere corda preces.
Clamat, quando domum consumere flamma minatur,
Aut in agros torrens fundere tentat aquas.
Nuntiat instantis magni solemnia festi,
Et juvat illius clarificare jubar.

Luctantes ventos, tempestatesque sonoras
   Frangit, et incolumis campus agerque manent.
Tinnula depellit campanula daemonis artes,
   Quando sub instanti mortis agone jaces.

Axioma.

Vita tibi, vitaque magis tua fama *colatur;*
Mors tollit vitam, per eam non fama *necatur.*

Dies 23. Junii.

I.

St. Epeltrudis, Regina Anglorum.

(Post mortem diu integro corpore mansit, nullo vestigio ulceris relicto, quo vivens vexata fuerat.)

Obstupuit natura parens, quae cuncta trucidat,
Dum mortis medicas conspicit esse manus.

II.

St. Maria Ognies.

Attrahit aspectus tuus ad pietatis amorem;
Aspicias oculis me quoque, posco, tuis.

Applicatio moralis.

I.

Horrida mors animae nostrae de corpore nostro
Vere discessus dicitur, estque simul.
Mors est discessus, mors est accessus et inde,
Taliter accedes, qualiter inde migras.
Temporis est hujus finis mors principiumque
Aevi perpetui, quod sine fine manet.

II.

Nemo super prunas accensas ambulat igne
Nudatis pedibus, quin sibi damna creet.
Sic nequit impuris quoque non affectibus uri,
Incautus vultum virginis aspiciens.

Axioma.

Qui vixit *rite*, mors illi est janua *vitae*.
Qui moriens *fortis* destruxit vincula *mortis*,
Destruxit *mire* mortis terrentia *dirae*.

Dies 24. Junii.

St. Joannes Baptista.

Das oriens saltus, tibi lethi occasio saltus,
Quem spectante dedit rege puella salax.
Interitus vitae, vitae bene convenit ortus,
Nam quoque te saltus incoluisse ferunt.

Choreae.

Circulus est saltus, centrum satan occupat ipse,
Et stygis efformat turba nefanda gyrum.
Istis cum sociis male custodita juventus
In flammas stygias perpetuasque salit.
Fungis sunt similes saltus; licet hi bene cocti,
Semper adhuc homini ferre nociva queunt.
Dant tibi doctrinas Sancti, quas saepe rependas,
Ne tibi de saltu grandia damna pares.
Dum saltas, animae torquentur in ignibus orci,
Quarum perditio sola chorea fuit.
Sancti sunt homines, qui se macerantque tremuntque,
Poenarum memores, quas mala vita parit.
Multi, dum saltas, mortis cruciantur agone,
Horum si memores, nonne salire paves?
Hos non ulla quies fovet, hos dolor angit et urit,
Haec mala te numquam tangere posse putas?

Herodis saltus est nata proterva patrona,
  Nonne pudet sceleris talia monstra sequi?
Te videt ipse Deus, te cernunt agmina coeli,
  Immersum vitiis, deliciisque tuis,
Numquid erit requies cordis, cum talia pensas?
  Nonne tibi potius membra pedesque tremant? —
Haec perpende satis, si vis hic vivere felix,
  In regnoque Dei perpete pace frui.

Axioma.

Tuta est in *cella* fugiens mundana *puella*,
Cor non *exaltat*, quae crebro fervida *saltat;*
Est quia virgo *caro*, non est saltatio *raro*
Ansa cadendi *istis*, casus occasio *tristis*.

Dies 25. Junii.

St. Febronia V. M.

Pectine ferrato lacerata Febronia Virgo est;
Sic oculis Sponsi comta placere cupit.

Martyres.

Quot, quantisque modis sint passi martyriorum,
Nomine qui Christi sustinuere necem;
Quot sint ingentes cruciatus ferre coacti,
Nulla valet verbis promere lingua satis.
Multi sunt secti, lapidati, carcere clausi,
Tormentis aliis succubuere feris.
Multi verberibus, multi sunt igne necati,
Occidit multos horrida lympha gelu.
Multi distenti, tentati, cuspide caesi,
Interitum laeto corde tulere suum.
Pellibus induti caprinis atque melotis,
Vestibus abreptis, circuiere suis.
Hi sunt, quos mundus fatuos hebetesque putavit,
Nunc arcana vident, atque profunda Dei.
(Hebr. 11. 36.)

Axioma.

Non sensus *celans*, imprudens omne *revelans:*
Hic velut est *callis*, via pandens, urbs sine *vallis*.

Dies 26. Junii.

St. Vigilius, Episcopus M.

Grex fraudum securus eas, tibi nulla luporum
Ira queat, furum nullus obesse furor;
Nam vigilans tibi Praesul adest, cui nobile nomen
Est Vigili. Pastor non nequit esse vigil.

Praecones sacri.

Christus Evangelii praecones misit in orbem,
Ut populis fidei nuntia laeta ferant.
Aspra ferenda sibi fuerant vitaeque pericla,
Quam sacrare Deo percupuere suo.
Destruxere diis sacrata sacella profanis,
Atque domos vero constituere Deo.
Ex rapidis fecere lupis et tigribus agnos,
Exque feris animos excoluere pios.
Agrum fecerunt foecundum sanguine fuso,
Quem sudore prius jam reluere suo.
Sic excultus erat consertus sentibus orbis,
Virtutumque velut floribus hortus olet.
Gentibus edomitis Christi pacalibus armis,
Notus adoratur verus ubique Deus. —

Axioma.

Ut sint *prudentes*, teneat vigilantia *mentes*,
Sint vigiles *sensus!* qui tendit retia, *densus*,
Quem misit *crater* stygis, est exercitus *ater*.

Dies 27. Junii.

St. Ladislaus Rex.

(Hungariae regiam dignitatem diu abnuit.)

Regalis regale puer diadema recusat,
Et dignas tanto principe temnit opes.
Imperiumque sui (quo nullum majus in orbe)
Imperio semper praetulit ille suo.

Vanitas rerum mundi.

Nullam dant requiem, non dant solatia cordi
Res fluidae mundi, quae breve tempus habent.
Disce Dei regnum rectique requirere leges,
Et tibi terrestres adjicientur opes.
Verba Redemtoris sunt haec, quae spernere mundum,
Et captare magis non peritura docent,
Quae nec fur rapiet, nec vermis rodet iniquus,
Et poterunt hominis cor satiare bonis.
Praeterit haec mundi veri monstrosa figura,
Mors tandem nobis vera videre dabit.

Axioma.

Sunt majora *bonis* mundi regnique *coronis*
Cunctis, quae *coeli* bona dant et dona *fideli.*
Despice, quae *mundi* res sunt, sunt saepe *profundi*
Haec scalae, *mentes* tot ad inferiora *trahentes.*

Dies 28. Junii.

St. Leo Papa.

Nobilior longe (si fas mihi vera fateri)
Quam nutrice lupa Roma Leone fuit.
Moribus est placidus, blandoque simillimus agno,
Ast erit, irruerit si lupus, ille Leo.

Fortitudo.

Fortis non timidus nimis est, sed nec nimis audax
Et medium constans inter utrumque tenet.
Infensus sceleri, virtutis fidus amicus,
Scit laudare bonum, scit reprobare malum.
Haec animi virtus est mentis firma voluntas,
Qua quis in adversis non titubare solet.
Imo bonum, quamvis obstacula dura repugnent,
Suscipit et peragit motus amore Dei.
Quin potius bona fortunae vitamque perire
Optat, quam minima laedere labe Deum.
Victor erit fortis, quamvis circumsonet hostis,
Si duce prudenti mente refringet eum.
Victor erit, si justitiae sit cultor et ultor,
Sobrietasque suas planet ad astra vias.

Axioma.

Qui bene vult *fari*, debet bene *praemeditari;*
Successus *deest*, si non prudentia *praeest.*

Dies 29. Junii.

St. Petrus et Paulus.

Factus amor Roma est, cum vertunt in cruce Petrum;
Martyrio Pauli lactea Roma fuit.

Ecclesia est navis.

Navigat aequoreas Ecclesia sancta per undas,
Et velut a mundi fluctibus acta natans.
Navis enim vere piscans est ipsa, procellis
Mota, sed in rabido non peritura mari.
Sunt illic merces plagae; sunt vota rudentes;
Mors pretium; virtus prora; carina salus;
Vincla fides; malus pietas; suspiria venti;
Spes velum; remus gratia; rector Amor.
Papa regit remos et amoris rete prehendit
Pisces, ut fidei pane cibaret eos.
Quem gerit haec navis, portum securus inibit
Perpetuaque frui pace licebit ibi.
O praeclara ratis! quamvis agitaris ab undis,
Numquam spumantis te vorat unda maris!

Axioma.

Fuso *foecundus* Sancti fit sanguine *mundus;*
Semina *virtutis* serit et dat grana *salutis.*

Dies 30. Junii.

Commemoratio St. Pauli.

(Vas electionis est mihi iste. Act. 9.)

Truncatus, mutilatus obit dum vertice Paulus,
Fluxit ab irriguo vulnere lactis ebur.
Vas erat electum, gladii vas frangitur ictu;
Debuit effracto currere vase liquor.

St. Pauli Epitaphium.

Victima Paulus erat, tortor Nero, praefica tellus,
Mors votum, testis turba, Petrusque comes,
Poena fuit gladius, lac sanguis, lacrima rivi,
Roma locus, merces sidera, causa fides.

Diversi status hominum.

Omnes sunt homines ad coeli regna vocati,
Quisque status proprii conditione sua.
Ultimus est hominis finis Deus ipse Creator
Rerum cunctarum; condita cuncta regens.
Ut tamen attingant homines tam nobile centrum,
Vult Deus ad certum quemque vocare statum.

Cum multi variique status numerentur in orbe,
  Hunc illumve sibi seligat omnis homo.
Hunc statuit regem Deus, hunc vult esse colonum,
  Pauper hic est, illum plena crumena fovet.
Iste Sacerdotis capit, ille negotia mundi,
  Junctus hic uxori, nubilis ille manet.
Haec colit in mundo sata lilia virginitatis,
  Servit et illa Deo clausa monasterio.
Prospice mature tibi munus tale statumque,
  Qui juvat ad finem te properare tuum.

Axioma.

Est mortis *vallis* vita haec, est ardua *callis;*
Ex cunctis *costis* trux et vigil ingruit *hostis.*
Qui vixit *rite* sine crimine tempora *vitae,*
Dira pati *fortis* non horret vulnera *mortis.*

Mensis Julius.

Nil sub sole manet, virides sol aestuat herbas;
Sic transit vitae flos hominisque decus.

Cor Jesu, Cor dulce mihi, Cor dulce Mariae;



Haec duo Corda simul sint meus unus amor.

Dies 1. Julii.

I.

St. Simeon Salus, C.

Dum sapiens, stultum simulans, opprobria quaeris,
O paradoxum ingens! desipiendo sapis.

II.

St. Theodorus Abbas.

(Patrem latronem convertit.)

Es latrone satus, sed per te vivere doctus,
Incipit ipse parens filius esse tuus.

Sapientia vera.

Ante Dei vultum nil est sapientia mundi;
Est sapiens, divus si cor inescat amor.
Qui metuit Dominum, sapiens mox incipit esse;
Plusque timens homines insipienter agit.

Fur.

Fur! perpende tuae jacturam mente rapinae,
Auri te faciunt perdere lucra Deum.
Respicis ad lucrum, non vis perpendere damna,
Queis tecum pariter lucra perire queunt.

Nequam furatur, quin quidquam restituatur,
Sic injustitiae duplicat iste nefas.
Igne caro numquam redit ad laniaria cocta,
Ad dominum raro rapta redire solent.

Axioma.

Pelle sub *agnina* latitat mens saepe *lupina*;
Simplex *apparet*, simplicitate *caret*.
Ante Deum *mentes* sunt crebro *desipientes*,
Queis sunt saepe *secus* laus, honor atque *decus*.

Dies 2. Julii.

I.

Visitatio B. Mariae V.

Verbo concepto cognatam visere curat;
Pro damae celeris more per alta salit.
Adveniens, ambo Deitatem magnificarunt;
Exiliens agitat pusio claustra sinus.
Dicere cum nequeat Baptista per ora salutem,
Jure fuit toto corpore dicta salus.

II.

Ss. Felix, Faustus et Fortunatus MM.

Felix et Faustus, qui scandit ad aethera martyr,
Fortunatus erit, quem Deus ipse beat.

III.

St. Processus M.

Processus vitae processum denique finit,
Se jungens superis, martyr ad astra migrans;
Ut procedamus nos in virtutibus, ora!
Talis processus corda beare potest.

I.

Exultatio Elisabethae.

Eja! quanta mihi nunc gratia! clamat Elisbeth,
Quum video Matrem laeta venire Dei!
O benedicta mihi! mulier tibi nulla praeibit,
Et soboles ventris sit benedicta tui.
Proles subsiliit gaudens in ventre repente
Nata meo, quando sensit adesse Deum.
Tunc ingressa domum pia Virgo limen Elisbeth
Vaticinans coepit magnificare Deum.

II.

Non timenda corporis mors.

Qui corpus perimunt, animam non perdere possunt,
Christus discipulis, ne timeatis, ait.
Illos, qui possunt animam cum corpore flammis
Tradere perpetuis, hosce timere monet.
Multi sicut oves igni gladioque necati,
Amodo cum Sanctis regna beata tenent.

Axioma.

Est »*fortunatus*«, delens de corde *reatus*!
»Felix« »*processus*«, qui firmat ad aethera *gressus*!
Et ter »faustus« *erit*, qui nunquam, quae sua *quaerit*.

Dies 3. Julii.

St. Dathus, Episcopus Ravennae.

Ista, Dathe, die tibi gaudia sunt data coeli;
Ut detur et nobis vita beata, roga.

Oratio.

Firma fit omnipotens orans fiducia cordis;
Quae penetrat nubes et super astra volat.
Omnia, quae bona sunt, dantur de lumine nobis,
Et precibus motus fit dator ipse Deus.
Utilius nihil est, quam crebra precatio mentis,
Hanc ideo redames, assidueque colas.
Cor non languescit, si saepe levatur ad astra,
Namque profunda palus putrida grana facit.
Indicat ascensum devota precatio Christi,
Dum volat ad coelos mens animusque tuus.
»Cum Domino loqueris, si sanctis sensibus oras,
Et tecum loquitur, si legis, ipse Deus«. S. Aug.
Qualiter oremus, docuit nos ipse Redemtor,
Quin et in os nobis propria verba dedit.

Axioma.

Hic bene se *ditat*, qui injusta et noxia *vitat*,
Qui rapuit *fundum*, lucratur saepe *profundum*.

Dies 4. Julii.

St. Elisabeth, Lusitanorum Regina.

Quam tibi divitiae pulchros vertuntur in usus!
Nam quae aliis spinae sunt tibi, Sancta, rosae,

Laquei divitiarum.

Parcere vis manibus? cave spinas; parcere cordi?
Aufer opes, opibus plurima spina subest.
Ante Camelus acum, quam coeli limina dives,
Si penetrare potest, quis penetrare potest?
Hic coelos intrat dives, qui largus egenti
Praestat opes miseris, commodat ista Deo.
Divitiae funes satanae sunt, funibus istis
Inductus Judas se jugulare fuit.
Auri plus torquet numquam satiata cupido,
Quam bona, quae portat, gaudia ferre queant.
Quisquis conglomerat cumulos sibi divitiarum,
In proprio tigres confovet ipse sinu.
Pro Christi famulis est aurum daemon et anguis,
Excitat ille sitim, vira dat anguis eis.

Axioma.

Quando vides *flentem*, te praebe *commiserentem*.
Dat bene, dat *multum*, qui dat cum munere *vultum*.
Gratia nulla *datur*, si munere munus *ematur*.

Dies 5. Julii.

St. Zoe M.

Excelso Zoe trunco suspensa capillis
Ad coelos trahitur, nomen et omen erat.

Bonus vitae usus.

Duplex vita tibi data duplice tendat agone
Ad metam vitae currere perpetuae.
Aetas est morum melior, quam sola dierum,
Desinet haec velox, illa perennis erit.
Vita brevis, male tuta, dolis est plena malisque
Innumeris, raptum denique mortis erit.
Num non stultus erit, qui vitam transigit istam
Quin per eam vitae lucra perennis agat?
Sicubi quis tantum breve tempus cogitat esse,
Non magnam curam rebus habere solet.
Si tamen ad tempus longum consistere pensat,
Curat, ut omnis ibi vita beata foret.
Quantos thesauros idcirco provideamus,
Si cupimus vitam vivere perpetuam!

Axioma.

Clauditur ecce *foris* peccato, si cor, *amoris*
Igne ardens *Christi*, se totum devovet *isti*.

Dies 6. Julii.

St. Godoleva M.

Expiravit ubi Godoleva, humus omnis in albas
Versa fuit gemmas, mors pretiosa fuit.

Mors.

Ut Christus dicit, sanctorum mors pretiosa,
In Domino moriens vivus ad astra volat.
Exspectat sanctos in coelis vita perennis,
Aeternae mortis mors mala principium.
Disce mori vivens! mors vitae temporis Echo;
Improvisa venit, disce proinde mori!
Ultima nostra dies nobis occulta manebit,
Pro nostroque bono nos latet illa dies;
Semper enim memores sumus hujus mente diei,
Si nos incertos exitus esse sinit.
Qui memor est mortis, cor mundat idemque tuetur,
Cor mundum nescit mortis habere metum.

Axioma.

Ut voces *rite* sonat Echo, mors ita *vitae*
Est Echo, *cura*, mens ut sit crimine *pura*.
Corde Deo *vere* servire hominique *placere*
Non simul, ut *testis* vox est divina, *potestis*.

Dies 7. Julii.

St. Wilibaldus, Episc. Eichstaettensis.

Erigis excelsam cathedram, celsissime Praesul,
Hanc tu, ne titubet, firma columna tenes.

Doctrina dogmatica de fide.

Est divina fides, quia, quos Ecclesia tradit
Credere, Christus ei tradidit Articulos.
Hinc illi parere jubet Jesus prout ipsi,
Scilicet est Verbi firma columna sui.
Integra traditio sine mendis atque perennis
Vivit catholico tuta magisterio.
Ista fides animae lux est et janua vitae,
Hac sine namque potest nemo placere Deo.
Ut Deus est verax, sic est omniscius, unde
Spernit eum, quisquis nolit habere fidem.
Qui verae fidei praecludit lumina luci,
Aeternae mortis se facit esse reum.

Axiomata.

I.

Firma fides *munit*, mentes coelestibus *unit*
Transfert et *montes*, purgat de crimine *sontes*,
Rorat et omne *bonum* nobis de lumine *donum*.

II.

Ne nocte *offendas*, Christi vestigia *tendas!*
Qui sequitur *Christum*, lux Christi illuminat *istum*.

Dies 8. Julii.

St. Procopius M.

(Matrem ad Christum adducit.)

Progenerant reliquae terris sua pignora matres;
Matrem astris peperit Filius iste suam.

Officia liberorum.

Praeceptum Domini proles omnesque parentes
De gravibus cunctis instruit officiis.
Vult Deus, ut proles genitores semper honorent;
Ut constanter ament, et famulentur eis;
In cunctisque gerant morem, nisi forte vetetur
Reddere lege Dei, quae facienda jubent,
Corporis aut animae succurrant rebus in arctis,
A bonitate Dei saepe precentur opem.
Hoc qui praeceptum servat, promittitur ipsi
Vita diu durans prosperitasque dari.
Laesores gravibus poenis et in hac et in illa
Vita perpetua crimina facta luent.
Dignus amore pater, tamen ante Creator amandus,
Cessat lex patris, quando Satoris adest.

Axioma.

Ut sit *longaevum* vobis veraciter *aevum*,
Et vestrae *mentes* teneant in honore *parentes*.

Dies 9. Julii.

St. Cyrillus E. M.

In flammis, o Sancte sedes, non laederis igne;
Illustrem cathedram te quis habere neget?

Praedicatio verbi Dei.

Martyrium subiere Dei constanter amici;
Hymnos in mediis concinuere focis.
Quis dat ad haec illis adamantina corda ferenda?
Haec incendit amor fortior igne Dei.
Praeco Dei verbum cum fructu praedicat ille,
Quem fidei cathedram scandere pellit amor.
Pisces ille capit pro coeli perpete regno,
Qui Christi tendit nomine rete suum.
Qui cupit, ut lucrum sibi concio praebeat amplum,
Audiat attenta mente, nec esto vagus.
Quae sibi dicuntur, sibi dicta putato, sibique
Non aliis tribuat, fructificentque sibi.
Doctrinis parere sacris sit firma voluntas,
Assiduum studium, cura laborque suus.

Axioma.

Parva sub exigua latitat *scintilla favilla;*
Mortua flamma *ruit*, ni tumulata *fuit.*

Dies 10. Julii.

Ss. Felicitas et septem Filii MM.

Dicitur haec felix, gignendo pignora septem,
Sed peperit gladio, non sibi, facta parens.
Occidit appendix praeeuntibus ultima natis,
Si potuit, toties ante perempta, mori.

Vera felicitas.

Qui sequitur Christum, non hoc felicior ullus;
Omnia cum Christo gaudet habere bona,
Et dulcorat amor Christi tormenta malumque;
Conscia mens recti gaudia pacis habet.
Qui sequitur mundum, sibi plurima condit amara,
Corque suum nunquam pacificare valet.
Legitime certans laetus transibit ad astra,
Et meritis plenus denique salvus erit.
Sicut ab aequoreis piscis circumdatur undis,
Justum circumeunt gaudia magna nimis.
Non ibi sunt lacrymae, nullus dolor aut cruciatus,
Praeteritisque malis vita repleta bonis.

Axioma.

Non genuisse *doles* mater, si sedula *proles*
Tramite *virtutis* perducis ad ora *salutis*.

Dies 11. Julii.

St. Pius Papa M.

Aurea tunc plane, non ferrea saecla fuere,
Quando Pius Caesar, Papa Piusque fuit.

Pietas.

Utilis est pietas ad opus, quodcumque sit illud,
Et proficit vere munus ad omne tuum.
Christicolis pietas decus est praenobile cunctis,
Vera tamen pietas, non simulata dolo.
Se putat esse pium solito jejunia servans,
Quem tamen invidiae gurges et ira vorat.
Se putat esse pium precibus qui personat auram,
Posthac opprobriis verberat ore suos.
Se putat esse pium, qui numum donat egeno,
Sed laesus veniam reddere corde negat.
Vera proin pietas hac duplice lege regatur:
»Ex toto Dominum dilige corde Deum;
Ex anima tota, totis ex viribus ipsum,
Ex totaque tuum dilige mente Deum«.
Altera consimilis lex est formalis amoris:
»Sicut te, fratrem dilige mente pari«.

Axioma.

Aurea *libertas* est, si te pectore *vertas*
A mundo ad *Jesum*, cor habens non crimine *laesum*.

Dies 12. Julii.

St. Joannes Gualbertus Abbas.

Quo celebrem statuis pietatis, Sancte, palaestram,
Hic locus Umbrosae nomina vallis habet;
At licet obscuro lateat tenebrosa recessu,
Illa tibi lucem nominis umbra dedit.

Amor proximi.

Proximus omnis homo tuus est, et amicus et hostis,
Est et uterque tuo dignus amore pari.
Omnibus est comune bonis bene velle, sed uni
Christicolae mos est et bene velle malis.
Diligit hic fratrem, qui vult bene, praestat et ipsi,
Quidquid ei gratum, sive salubre putat,
Et qui propter eum devitat, quae vel acerbant,
Aut afferre malum, sive nocere queunt.
Unius stirpis sumus, uniusque parentis,
Hinc consanguinei congeneresque sumus.
A Domino nobis est spiritus inditus, atque
Propterea fratres unanimesque sumus.
Quin potiore gradu, quia non hoc sanguine tantum,
Sed super hoc animae nos paritate sumus.
An igitur non nos debemus amare vicissim,
Cum sit quisque simul mitis imago Dei?

Axioma.

Qui non *ignoscit*, rigidus qui debita *poscit*,
Mensura *aequali* tribuetur Numine *tali*.

Dies 13. Julii.

St. Anacletus Papa M.

Constituit leges, leges sprevitque tyranni,
Et pro lege Dei maluit ipse mori.
Sacra litans toties, tandem fuit ipse litatus;
Exemploque movens nunc »ἀνακλητος« erit.

Lex Dei.

Multi pro patria proprium dant lege cruorem,
Et velut excellens hic celebratur amor.
Sed pro lege Dei coeloque dedisse cruorem,
Numquid amor major nobiliorque datur?
Lex excelsa Dei tabulis insculpta, suaque
Scripta manu, populis notificata fuit.
Majestas Domini veniens in nubibus atris
Ad Moysen coepit voce potente loqui;
Intereaque vibrant nebulae fera fulgura densae,
Et tonitru crepitus cuncta tremore replet.
Non timor ad legis cogat te jussa sequenda,
Sed potius cordis fervor amorque Dei.

Axioma.

Lex amor es *dulcis*, quae cordum foedera *fulcis*,
Vires *extollis*, quaequae sunt ardua, *mollis*,
Hostes *depellis*, venantis retia *vellis*
Et vitiis *tectis* divinis pectora *nectis*.

Dies 14. Julii.

St. Bonaventura Cardinalis.

Nomine quae spondes? Bona ventura omnia solum?
Te peto rem, nomen. Nonne beatus ero?

Mundi contemtus.

Nos peritura vetat bona mundi quaerere Christus,
Et bona venturae sortis amare docet.
Quid prodest homini, si totum possidet orbem,
Quem mors suscipiet, tempore dira brevi?
Cur renuunt homines bona sponte relinquere mundi,
Quae tamen invitum perdere quemque vident.
Obcaecata nimis saecli praesentis amore,
Non valet interitus mens memor esse sui.
Providet ille sibi, qui, quae sibi terra ministrat,
Applicat ad coeli regna lucranda bona.
Mors sedet in specula saevas jactura sagittas,
Hinc ne te feriat fors inopina, cave.
Flumine perpetuo torrens solet altius ire,
Sed tamen haec brevis est, illa perennis aqua.
Nec semper violae, nec semper lilia florent,
Et riget amissa spina relicta rosa.

Axioma.

Non bona sunt *verum* peritura in fine *dierum;*
Quae praebent *coeli*, bona sunt, ventura *fideli.*

Dies 15. Julii.

St. Henricus Imperator.

In thalamo Caesar caelebs, Henrice, manebas;
Romanum virgo sic regit imperium.

Momenta ascetica.

Quem caro non vincit, vix mundus vincit et orcus,
Si stimulis carnis jugia bella gerit.
Continuum bellum, tamen est victoria certa,
Quisquis in assiduo certat agone suo.
Gaudia, caste pudor! praebes, te, sancta, colenti,
Scilicet ad coelos sensa volare facis.
Affectus minuis pravos animamque quietam,
Reddis, eamque foves suavis odore spei.
Currus es et cisium tibi spirituale, fidelem
Suaviter ad caeli regna beata vehens.
Gratia belligero forti non deerit unquam,
Si prece pugnando supplice poscit eam.

Axioma.

Judicis in *cunctis* sit justa potentia *punctis;*
Judicis est *recti*, non munere, nec prece *flecti.*
Sunt raro *Ivones*, quamvis in jure *Solones;*
Gratia fit *pluris*, quam tota scientia *juris.*

Dies 16. Julii.

St. Fridericus Episcopus.

Ne fieres Praesul, tantum, Friderice, laboras;
Quantum in oppositum nunc solet esse labor.

Vanitas honoris mundani.

Stultus amat mundi pallentes semper honores,
Quos videt ut fumum quoque perire die.
Vanus honor suavis fur est operumque bonorum
Raptor, et hinc animae semper iniquus erit.
Qui laudes hominum cupidus sibi quaerit inanes,
Ullius dignum nullus honoris habet.
Filius ipse Dei praebens viventibus escam,
Mira stupenda vetat reddere nota sua.
Illum, cum regem tentaret ponere vulgus,
Re bene praescita fugit abinde statim.
Hoc imitans specimen poterit cognoscere, quemque
Esse honoratum, quem Deus ipse probat.
Mores permutant animumque frequenter honores,
Saltem permultis magna pericla parant.

Axioma.

Saepe suos *mores* homo mutat propter *honores*.
Saepe solent *census* hominis pervertere *sensus*.

Dies 17. Julii.

St. Alexius C.

Aede quod in patria latuisti, pauper Alexi,
Sub scala, ad coelos haec tibi scala fuit.

Mors est scala.

Mors est scala tibi, qua scandis ad aethera tutus,
Si modo constanti calle caduca teris;
Quae sunt aeternum quondam peritura per aevum,
Sanae mentis homo nullus amare potest.
Omne, quod est vanum, scalis obstacula ponit,
Queis ad coelorum scandere regna studes.
Hinc tibi dulce para solamen mortis ad horam,
Quod tamen a mundi rebus habere nequis.
Nil habuisse juvat bona quondam plurima mundi,
Sed meriti fructus accumulasse boni.
Fastus, luxuries, auri, carnisque cupido
Non sunt ad regnum scala gradusque Dei.
Mens humilis primus gradus est, quo deficiente
Ad coelos poterit scala nec ulla dari.

Axioma.

Sunt inter *gentes* hoc rarae tempore *mentes*,
Vere *prudentes*, aes et res *despicientes*,
Non sua *quaerentes*, sed Christum corde *sequentes*.
Divitiis vir *abundans* est vitiisque *redundans*,
Dives lucra *sequi* si quaerit devius *aequi*.

Dies 18. Julii.

St. Symphorosa M. cum septem Filiis MM.

Symphorosa rosas septem produxit, et illas
Martyr ad Elysios mox comitatur agros.

Officia parentum.

Spectat ad officium genitorum, reddere natos
In fidei gnaros rebus et esse pios;
Utilium rerum quoque cognitione refertos,
Quas fore pro vita nosse necesse sciunt;
Reddere morigeros, virtutes cum pietate
Exercere bonas, atque timere Deum.
His ipsi satagant genitores, sive juvari
Curent in tanti ponderis officiis;
Scandala praecaveant, vitae probitate coruscent,
Exemplo natos ad bona facta trahant;
Quidquid eis animae vel corporis utilitatem
Ferre potest, omni sedulitate parent;
Et quod eis opus esse sciunt, id habere laborent,
Prudenter tribuant, auxiliumque ferant;
Nec nimis austero castigent menda rigore,
Nec nimia crescant haec levitate magis;
Sed potius poenae sint mixtae semper amore, —
Sic utriusque simul sit moderator amor.

Axioma.

Est solum *vitae* certanti laurea *rite*,
Accipietque *almam* solum constantia *patmam*.

Dies 19. Julii.

I.

St. Macrina V.

(Soror St. Basilii M. E. et Gregorii Nysseni E.)

Haec gens sancta fuit, fratres sanctique fuere.
Amborumque soror sancta Macrina fuit.

II.

St. Vincentius a Paula C.

A Paulo dictus Vincentius, ictus amore,
Complectens omnes, omnibus omne fuit.
Omnia vincit amor; qui diligit, ille triumphat.
Det Deus, inflammet corda sacratus amor.

Cognatio sancta.

I.

Sunt consanguinei, quos vinclum jungit amoris,
Nam de corde pari sanguis amorque fluunt.
Imo cognati sumus in baptismate loti,
Nosque ligat fidei funis amorque simul.
Hinc quodcumque potest aliquomodo laedere fratrem:
Rixa ferox, odium, jurgia, probra, minae,
Ultio felle tumens; suavis sunt semper amoris,
Et placidae pacis melle domanda statim.

II.

Amor beneficus.

Otia spernit amor, sed mobilis ignis ad instar
  Propulsat tenebras atque calore fovet.
Nunc tergit lacrimas, nunc escam praebet egenti,
  Nunc aegros reficit, corpora nuda tegit;
Tristia confortat suavi solamine corda,
  Fundit in oppressos dulcia mella spei.
Sic amor infaustos casus lenire laborans,
  Munificos radios spargit ubique suos.

Axioma.

Ut Christi *vox est*, mundi sapientia *nox est*,
Verba negans *Christi* cordis caligine *tristi.*

Dies 20. Julii.

St. Margaritha V. M.

Gratos forsan habes lectos oriente lapillos;
Gratior at summo Margaris ista Deo.
Nam reliquas Ganges mittit vel mittit Hidaspes;
At micat in rubro sanguinis ista mari.

Arma salutis.

Firma fides et sobrietas, vigilantia, scuta
Sunt, quibus atteritur vis inimica stygis.
Qui vigil est, Satanae molimina noscit et artes,
Quas ideo prompta mente cavere potest.
Sobrius illecebras carnales luxuriaequae
Imperio mentis frenat easque domat.
Perque fidem tandem stat aperta gehenna cadenti,
Vincenti coeli clara corona micat.
Arx est firma fides et inexpugnabile castrum,
A quo, jacta, retro tela retusa volant.

Axioma.

Non adamas — *mores*, pietas — non floris *odores*,
Integritas *mentis* — pelagi non dona *rubentis*,
Virtus *insignis* — non splendens gemmeus *ignis*:
Mentes *exornant* et pro coelestibus *ornant*.

Dies 21. Julii.

St. Victor M.

Victor, qui nomen factis ingentibus imples,
Quique coronandum tollis ad astra caput:
Cinge triumphales lauro victrice capillos!
Si nisi Victoris laurea, cujus erit?

Tres animae hostes.

Hostes tres angunt hominem: Satanas, caro, mundus,
Cum quibus incumbit lucta severa tibi.
Fortibus inde satis sis scutis cinctus et armis,
Cum quibus illorum vim referire queas.
Illecebras carnis vincit moderamen in esu,
Sobrietas, humilis vita, timorque Dei,
Alterius sexus fuga consuetudinis, atque
Ad coelum fido fundere corde preces.
Ad bona, divitias et delectamina mundi
Numquam verte tuum cor, nec habere cupe.
Thesauros potius tibi deliciasque perennes
Congere, quae poterunt cor satiare tuum.
Daemonis insidias fraudesque dolosque retorques,
Quando repellis eos vivificante fide.
Sic eris in quovis duro certamine victor,
Ornabitque caput clara corona tuum.

Axioma.

Est victor *fortis* vincens et tempore *mortis*,
Qui vincit *mundum*, qui se — vincitque *profundum*.

Dies 22. Julii.

St. Maria Magdalena.

Magdala divini flammas admisit amoris,
  Et genuit, quisnam crederet? ignis aquas.

Amor duplex.

Pars I.

Omnis amor rex est, animum regit atque gubernat,
  Est tamen ille duplex, dupliciterque regit.
Rex amor iste suum regnum sibi fecit uterque:
  Unus seipsum spernit, amatque Deum,
Alter amat solum seipsum Numine spreto;
  Hinc sibi continuo bella tremenda gerunt.
Rex amor e coelis veniens ad aethera ducit,
  Rex in perniciem carnis iniquus agit.
Rex amor e coelis seipsum temnit et odit,
  Rex amor e terris tollit in alta caput.
Saevus amor rex est ex carnis semine natus,
  Ex ipso sensim pullulat omne malum.
Saevus amor rex est, non est crudelior hostis,
  Qui dedit horribili millia plura stygi.
Fallax rex amor est, heu! quot fallacis amoris
  Capti sunt laqueis et periere simul.
Credulus hic rex est, et amoris credulitate
  Grandia decepti damna tulere nimis.

Credulus hic rex est, millenis millibus illa
    Credulitas animis tota ruina fuit.
Credulus hic rex est, nihil autumat esse pericli,
    Aucipitis quando fistula dulce canit.
Credulus hic rex est, mentem caligine replet,
    Et tenebras lucem, candida nigra vocat.
Callidus hic rex est, et blandula lingua venena
    Exspuit et furiis saevius ille necat.
Caecus amor rex est, oculos obnubilat umbra,
    Interitusque sui nulla pericla videt.
Stultus amor rex est, stolidissimus omnia credit,
    Perque fidem stultam destruit ipse fidem.
Pessimus hic rex est ex carnis semine natus,
    Subjectosque sibi ducit ad interitum.

Ad sanctam Magdalenam.

Frons tua *fons roris*, sunt *lumina flumina amoris*;
    Larga *Maria* tui dant oculi *maria*.

Axioma.

Quos anguis dirus tristi mulcedine pavit:
Hos sanguis mirus Christi dulcedine lavit.

Dies 23. Julii.

St. Apollinaris E. M.

Me mare, me carcer, me torqueat ignis et ensis;
Nil timeo, coelum plura meretur adhuc.

Amoris duplicis

Pars II.

Alter amor rex est, qui coelo scandit ab alto
Et socios secum ducit ad astra suos.
Sanctus amor rex est, rex omnia condidit iste
Ex nihilo, servat, continet atque regit.
Sanctus amor rex est, crucifixus morte redemit,
Peccatis, homines, qui periere suis.
Sanctus amor rex est, animas Paracletus adimplet
Et penetrat flammis dulcis amoris eas.
Sanctus amor rex est, renovavit Flaminis orbis
Totius faciem protinus igne suo.
Sanctus amor rex est, Ecclesia regnat amore,
Ad coelosque suas sedula ducit oves.
Sanctus amor rex est, dat gaudia summa beatis,
Qui laetante melos corde perenne canent.
Rex amor est *patiens*, mala suffert omnia vitae,
Nec venit ex labiis ulla querela suis.
Rex amor est *sapiens*, bona quaerit non peritura,
Et mediis aptis comparat illa sibi.

Rex amor est *castus*, maculis a carnis abhorret,
  Atque pudicitiae retia nexa fugit.
Invidiosus amor *non est*, de prosperitate
  Fratris laetatur, compatiturque malis.
Rex amor est *humilis*, de se non judicat alte,
  Deque suis semper dotibus aequa sapit.
Rex amor est *largus*, manifestus vivit in actis,
  Et circumspiciens undique praestat opem.
Rex amor est *fortis*, nec rebus frangitur arctis,
  Firmus in adversis non titubare solet.
Rex amor est *justus*, bona fortiter implet agitque,
  Non homines metuit, datque cuique suum.
Huic se quisque proin *regi* subducat amori,
  Hoc duce bella gerens denique salvus erit.

Axioma.

Cum modus est *rebus*, par est quoque gloria *spebus*;
  Cumque modum *excedis*, tunc sine laude *redis*.

Dies 24. Julii.

St. Christina V. M.

Et flammis Christina simul torquetur et undis,
Nulla nocent, quamvis tortor obesse velit;
Purior e flammis et purior exit ab undis;
Ignis nempe aurum purgat et unda lavat.

Operatio S. Spiritus.

Unda lavat maculas, ignis succendit amorem,
Spiritus hoc sanctus praestat utrumque bonum.
Sanctificat, quando luimur baptismatis unda,
In qua sanctificans gratia corda lavat;
Inque Sacramento, quum flemus crimina nostra,
Quo noxas eadem gratia sancta piat;
Denique, quum reliquis purgato corde fovemur,
In quibus augetur gratia sanctificans.
Septenis etiam donis nos Spiritus ornat,
Si petimus cupido corde pioque Deum.

Axioma.

Crux est dux, *mentes* ex mundo ad coela *trahentes;*
Crux est lux, *gentes* ne sint per falsa *ruentes;*
Crux est fax, *sordis* quae purgat et intima *cordis;*
Crux est pax, *verum* nos tutans fine *dierum.*

Dies 25. Julii.

I.

St. Jacobus Major Apostolus.

Dive tonas populis, cum verba beata repandis;
Sed tua dant vitam fulmina, nulla necem.
Primus Apostolico te sistis in ordine martyr,
Nunc Compostellae lucida stella nites.

II.

St. Christophorus M.

Vecturae pretium non est, quod inutile poscas;
Grande tibi naulum Pusio parvus erat.

Doctrina moralis.

I.

Ut valeas Christo prompte parere vocanti,
Affectus pravos mente recide tua.
Impiger injunctum tibi munus naviter imple,
Effectusque pio corde relinque Deo;
Non etenim fructus constante labore relati,
Sed labor ipse tibi praemia justa dabit.

II.

Est Dominus tecum, si digne sumseris illum,
Christophorique simul nomen habere potes.
Si recipis Christum, tua portant viscera Christum,
Te tamen adducit Christus ad omne bonum.

Ad Infantem Jesum.

Te pius *imploro,* Te Pusio dulcis *adoro;*
Te cor amat *gratum* de sancta Virgine *Natum.*
Per Te *credenti* reserantur ad aethera *genti*
Coelestes *valvae,* dulcissime Pusio *salve!*

Axioma.

Est, ubinam *pascor,* mihi patria, non ubi *nascor;*
Patria sunt *coeli,* qui dant bona summa *fideli.*

Dies 26. Julii.

St. Mater Anna.

Annae felici nisi filia nata fuisset,
Orbis tunc sterilis semper et orbus erat.

Arbor bona.

Nulla bonos fructus arbor mala proferet unquam,
Nec fructus arbor dat bona fertque malos
Si fueris fidei solide plantatus in agro,
Virtutum fructu fertilis arbor eris.
Namque fides vitam dat plantis atque vigorem,
Quo sine virtutum sicca tepescit humus.
»Divitiae nullae, thesaurus nullus honorque
Sive bonum mundi quit superare fidem.
Haec peccatores salvat, lumenque dat orbis,
Aegrotos sanat, justificatque malos.
Multiplicat justos, conversos expiat, atque
Tutandae praestat virginitatis opem.
Martyribus palmam praebet, sacratque ministros
Nosque choris superum participare facit.« (S. Aug.)
»Ditior est igitur thesauris, fortior omni
Robore corporeo gemmula sancta fides«. (S. Ambros.)

Axioma.

Est plenus *morbis* sine Christo, est orbus et *orbis*,
In Christo *solum* tangit at iste *polum*.

Dies 27. Julii.

St. Pantaleon Medicus et M.

1. Accipe Pantaleon pro Christo vulnera gaudens,
   Coelestis medicus dulce dabit recipe.
2. Cedere vult morti clarus medicamine pollens,
   Ut nova sic vitae mors medicina foret.

Improbus.

Improbus est coecus, nec coeli cernit amoena,
Nec stygis horribilis tetra barathra videt,
Improbus aegrotat, quae sunt cupienda refutat,
Et cupit ardenter, quae reprobanda forent.
Improbus est vita privatus spirituali,
Nam sibi rapta fuit gratia sanctificans.
Aegrotus medicum, caecus sibi lumina quaerat,
Ad vitam redeat mortuus absque mora.
Jesus est medicus, lux est, et vita proinde,
Haec mala curabit, quando requiris eum.

Axioma.

Cum mors sit *vitae* coelestis janua *rite*
Sic vivas, *cura*, non ut mors sit tibi *dura*.
Si male *fecisti*, mox respice vulnera *Christi!*
Qui dolor est *serus*, non est ex pectore *verus*.

Dies 28. Julii.

Ss. Nazarius et Celsus MM.

Morte pari cecidere duo, calybisque sub ictu
Unanimes sectum deposuere caput.
Ut valvas humiles coeli radiantis uterque,
En subeat, capitis debuit esse minor.

Via dupplex.

Ardua virtutis via multis consita spinis
Laeta per anfractus ducit ad astra pios.
Difficiles aditus primum spectantibus offert,
Sed fessos tandem pax requiesque fovet.
Est via lata quidem mollis, tamen ultima meta
Praecipitans captos volvit in antra stygis.
Quisquis enim duros casus virtutis amore
Vicerit, ad coeli regna beata salit,
At, qui desidiam luxumque sequetur inertem,
Ad stygias tandem decidet actus aquas.
A recto numquam deflectes tramite, quando,
Quam docuit Christus, niteris ire viam.

Axioma.

Solibus *aestivis* ut nix, ut frigus *olivis*
Est par *deliro* gloria parta *viro*.

Dies 29. Julii.
St. Lupus Episcopus Trecensis.

Tam bene sollicitus qui curat ovilia pastor,
Dicite, cur vobis dicitur ille lupus?

Pastor et oves.

Edocuit Christus pastores, quomodo pascant,
Et pariter subsint his reverenter oves.
Pastores ovibus doctrinae pabula praestent,
Excipiant illam semper amanter oves.
Exempli doceant pastores luce, regantque,
Illud item prompta mente sequantur oves.
Pastores faciant, quod Jesus jussit et egit,
Atque libenter eis subjiciantur oves.
Distribuant ovibus pastores pabula vitae,
His dapibus miris exsaturentur oves.
Invigilet pastor, ne quis lupus intret ovile,
Pastoremque juvet grex removere lupum.
Tunc in ovile suum pastores sumet ovesque,
In coelis et ibi Christus ovile reget.

Axioma.

Agnus qui *Christi* gregis est, bene convenit *isti*,
Ne fugiat *caulam*, sed mundi principis *aulam*.

Dies 30. Julii.

St. Abdon et Sennen MM.

Vos onerat ferrum, quos ante ornaverat aurum;
Sed manicae radio splendidiore micant.
Saepe trahit stygias auri grave pondus ad undas;
At leve vos ferri pondus ad astra vehat.

Merces servorum Dei.

Postulat exiguum Deus a famulantibus ipsi,
Nec tamen exiguo munere ditat eos.
Gaudia magna Deo famulanti dantur honorque,
Insuper et merces magna sequetur eum.
Servus ubique Dei dignus reputatur honore,
Et fruitur gentis semper amore bonae.
Porro Deo servire creat solatia cordi,
Et parat in terris prospera multa piis.
Utilitas tandem sunt coeli praemia larga,
Quae Deus ex pura dat bonitate sua.
Neve labor durus, nec longi temporis aetas
Terreat, ut merces te beet ampla nimis.

Axioma.

Non dic *thesaurum*, quod avarus colligit *aurum;*
Ad stygis *immundas* trahit ejus pondus ad *undas*.

Dies 31. Julii.

St. Ignatius de Loyola.

(Anagramma: Ignis a Deo illatus.)

1. Vulnera militibus tollunt accepta salutem,
   Tu contra accepto vulnere sospes abis.
2. Ignati merito nomen sortiris ab igne,
   Illatus nobis coelitus ignis eras.

Amor christianus.

Dilige corde Deum sincero, dilige fratrem!
  Quisquis amat fratrem, diligit ipse Deum.
Mutua discipulos Christi dilectio prodit.
  Sicut te fratrem dilige, plusque Deum!
Custodit mandata Dei, qui diligit illum,
  Mendax est, alio nomine quisquis amat.
Omnis homo debet, quamvis sit iniquus, amari,
  Nam manet excelsi semper imago Dei.
Est adamandus homo non ejus facta maligna,
  Dilige non hominis, dilige plasma Dei.
Christus ait Petro: Siquidem me diligis, agnos
  Pasce meos, id erit suavis amoris opus.

Axioma.

Si cor *percussit*, si flamma libidinis *ussit*,
Germine *multorum* cor pullulat hoc *vitiorum;*
Est amor at *divus* bona portans omnia *rivus.*

Mensis Augustus.

Quolibet agricolae contingit messis in anno:
Una tamen nobis tempore mortis adest.

Patria matris ubi simul est et patria prolis;



Ad coelos perduc Mater amata tuos!

Dies 1. Augusti.

I.

St. Petrus ad vincula.

Claves, Petre, geris, neque propria vincla resolvis?
Sed vis angelica liber abire manu?
E cruce si Dominus se liberet ipse, reponis,
Tunc quoque me solvam, Claviger is prior est.

II.

Septem fratres Machabaei MM.

Prae pueri, vos ite mei, matrique rubentem
Sternite, conscendam qua super astra, viam;
Vos ego non terris peperi, sed pignora coelis:
Dixit septena prole beata parens.

III.

Ss. Sophia et Filiae ejus Fides, Spes et Charitas MM.

Si decuit Sophiam fieri de Virgine matrem,
Certe hujus sobolis debuit esse parens.

Animae catenae.

Corporis est animus velut arcto carcere clausus,
Et vix ad coelos sensa levare valet.
Illum peccatum quasi duplex dura catena
Stringit et est captus, mancipiumque stygis.
Una ligat miserum Satanae, qua subditur ipsi,
Terrea peccati nempe catena gravis.
Affectus pravi, mala consuetudo, libido,
Altera sunt animae dura catena nimis.
Haec animam retinet, ne se cum Numine jungat,
Cumque Deo rursus conciliare velit.
Vaeh nimis haec animae creat utraque grande catena,
Quam nisi confringat, styx domus ejus erit.

Axioma.

Organa nulla *sonant*, sonitum non naulia *donant*,
Nulli si *tangunt* haec, nec modulamina *pangunt*:
Sic cor *pulsatum* modulamen dat cruce *gratum*.

Dies 2. Augusti.

St. Stephanus P. M.

In qua sede caput tibi sustulit ensis, humaris,
Post mortem sedes non vacat ergo tua.

Circumstantiae mortis.

Est locus incertus, quo sis moriturus et inde
Quemque tuum reputes, quo moriere, locum.
Hora tuae mortis non est tibi nota, proinde
Hora tuae mortis quaelibet esse potest.
Mors est certa, locus tamen est incertus et hora,
Unde monet quaevis hora: Memento mori.
Numinis auxilium nos semper egemus opemque,
Imprimis quando terror agonis adest.
Hostes tres animae, mare mundi grande malorum
Humanum turbant contribulantque genus.
Daemon item duplicat conamina tempore mortis,
Ut sibi fiat adhuc praeda perennis homo.
Nec caro desistit sua tentamenta movere,
Donec adhuc illi parvula vita datur.
Hinc pete coelestes magno fervore patronos,
Ut tibi tutamen subsidiumque ferant.

Axioma.

Si qua sede *sedes*, et sit tibi commoda *sedes*,
Illa sede *sede*, nec ab illa sede *recede*.

Dies 3. Augusti.

Inventio St. Stephani, Protomartyris.

Quorum sunt animae celebres super astra locatae,
Horum non cineres urna sed ara decet.

Doctrina dogmatica de Reliquiis Sanctorum.

Corpora Sanctorum vel eorum fragmina, quamvis
Parvula, Reliquias dicimus esse sacras.
Christiades has Reliquias ideo venerantur,
Et tenera cordis cum pietate colunt,
His in corporibus quia facti, sanguine fuso,
Sunt per martyrium victima sancta Dei,
Vel, quia virtutes operando, sive luendo
Crimina suppliciis, percoluere Deum.
Et quia perpetuae, quum corpora mortua surgent,
Lucis honore Deus clarificabit eas;
Et per eas tandem miracula multa patravit,
Et bona terrigenis contulit ampla Deus.
Christiades vero cultum nullatenus illis
Divinum tribuunt, sed venerantur eas.

Axioma.

Disce, quid es, quid *eris*, memor esto, quod *morieris!*
Omnia *transibunt*, sic ibimus, ibitis, *ibunt;*
Virtus sola manet, non et benefacta *peribunt.*
Virtutis *munus* mercesque est Trinus et *Unus.*

Dies 4. Augusti.

St. Dominicus C.

Cum face mater erat tua gignere visa catellum,
Cujus sis catulus, nomine significas.
Cresce puer, repleas lustrans latratibus orbem,
In stygios aude comminus ire lupos.

Stella vitae.

Stella tibi fulsit loto baptismatis unda,
Stella fuit fidei lumine clarus amor.
Haec si stella fuit tua dux et semita vitae,
Tunc tibi lucebit, quum moriturus eris.
Hujus enim stellae, noctis caligine pulsa,
Luce patent stygii retia jacta lupi.
Sed si perversa vita despexeris illam,
Daemonis in laqueos interitusque cades.
Stella dein retrahet radios et mortis in hora
Caligans animum nox tenebrosa teget.

Axioma.

Ut canis in fures consuescit comminus *ire*,
Tartareos orans vox hostes cogit *abire*.

Dies 5. Augusti.

I.

St. Afra M.

Afra cremando rogo, palo constricta triumphat;
Exstinguo Veneris, dixit, in igne faces.

II.

St. Maria ad nives.

Decidit aestivo nix candida tempore noctu;
Virgo Dei signum misit ab arce nivem.
Incaesto si quando Venus cor adureret igne,
Mox o Virgo tuas injice, quaeso, nives.

Applicatio moralis.

I.

Pelle pudicitiae niveae pugnaciter hostes,
Qui carnis stimulos sollicitare student;
Carpe fugam, fugiens carnis non uritur igne,
Sed cito victoris palma sequetur eum.

II.

Protinus ardentem nix candida suffocat ignem,
Sic Veneris motus perdomat almus amor,
Almus amor, sursum qui flammas dirigit ignis,
Inque Dei requiem quaerit habere sinu.

Axioma.

Sis cautus, Veneris facies si veneris ante
Ne sedeas, sed eas, ne per eas pereas.

Dies 6. Augusti.

St. Xistus P. M.

(Dum esset moriturus, Laurentii opera opes in egenos elargitur.)

Jam nece vicina largum tibi funditur aurum,
Ut releves turbae pauperioris onus.
Justorum pretiosa solent si funera dici,
Conveniet morti dos magis illa tuae.

Paupertas.

Pauperiem Jesus ad coeli regna vocavit,
Si tamen Ipsius Spiritus implet eam.
Pauperies duplex est: Insatiabilis una,
Altera, quidquid habet, non sibi plura cupit,
Qui nescit durum frenare cupidinis aestum,
Et, cum possideat plurima, plura cupit.
Est miser et pauper, multis angoribus actus,
Nam quo plus potae, plus sitiuntur aquae.
Ditior est pauper, cujus cor nulla cupido
Excruciat, quamvis hunc casa parva capit.
Lazarus angelicis humeris portatur ad astra,
Infelix epulo luget in igne stygis.

Axioma.

Duppliciter *gratus* favor est non ante *rogatus*,
Largus ubique *fave*, prodigus esse *cave*.
Si bona das *unquam*, benefacta tua objice *nunquam*;
Haec benefacta *placent*, quae benefacta *tacent*.

Dies 7. Augusti.

I.

St. Donatus Episcopus.

Donatus Christo vitam donavit, at ipsi
Donata a Christo vita beata fuit.

II.

St. Cajetanus C.

Astra petens mundum contempsit, sprevit et aulas;
Aulicus est jam nunc magnus in arce Dei.

Tempus vitae.

Est melius, curare pie, quam vivere longe,
Non vixisse diu, sed pia vita beat.
Canities non est signum cum laude peractae
Vitae, sed solum, quod fuit illa diu.
Illum revera vitam vixisse fatemur,
Quem coelestis alit gratia rore suo.
Si tua vita foret durans ab origine mundi,
Quid tibi prodesset, si fuit illa nefas?

Haec ut vita tibi sit tuta sequestra futurae,
Fac ea, quae moriens facta fuisse voles.
Qui minor in terris est factus, major in arce
Coeli cum Christo Rege beatus erit.

Axioma.

Qui spernit *munus*, non est e millibus *unus*,
Munera per *gentes* corrumpunt undique *mentes*.
Iste beatus *erit*, qui Christi munera *quaerit*.

Dies 8. Augusti.

St. Cyriacus, Largus et Smaragdus MM.

Cyriacum quanti facias, pix monstrat et ensis,
Quidque ratus Largus, gemma Smaragdus erit.

Justitia christiana.

Multi percupiunt aeterna sorte beari,
Attamen ad metam raro venire solent;
Non utuntur enim mediis, quibus est potiunda,
Scilicet obsequio, servitioque Dei.
Hoc jam servitium, qua sit ratione colendum,
Justitiae Christi regula clara docet:
Omne malum vitare, bonum patrare libenter,
Haec brevis est Christi regula justitiae.
Hanc constante sequens animo pertingere recto
Ad vitam poteris tramite perpetuam,
Perficies utrumque levi conamine, quando
Cor mundi rerum nulla cupido ligat.
Si cupis attolli, terrena requirere noli,
Conveniunt brutis terrea cuncta magis.

Axioma.

Non gemmae — *mores*, virtutes — non *amethysti*
Fulgent ut *flores* vivi in diademate *Christi*.

Dies 9. Augusti.

St. Albertus C. Carmelita.

(Suavissimus odor e tumulo efflatur.)

Ambrosios spiras, Alberte, sepultus odores,
Ut flos ex ipso caudice raptus olet.
Scilicet halantem rapuit mors invida florem,
At manet erepto flore superstes odor.

Areola virtutum.

Floribus areolam virtutum consere cordis,
Quae sudore tuo sit madefacta simul.
Et si mente preces devota fundis ad astra,
Incrementa dabit gratia sancta Dei.
Nam nihil est plantans, nihil est plantata rigare,
Ni Deus e coelo rore rigarit opus.
Floribus his animae sic cultis deliciatur
Sponsus et areolam te decorare juvat.
Unde labor tibi dulcis erit pergesque colendo
Areolam sensim floribus usque novis,
Donec in aeternum tandem plantaberis hortum,
Inter delicias, areolasque Dei.

Axioma.

Corpus vas *puris;* mea vita repletaque *curis,*
Cursitat absque *mora;* mortis mox imminet *hora;*
Omnia *transibunt,* sed non benefacta *peribunt;*
Virtutum *flores* exhalant semper *odores.*

Dies 10. Augusti.

St. Laurentius M.

Fulget ut obrizum superis Laurentius aurum;
Hoc an sit purum, flamma severa probat.
Assatur vivo vivus Laurentius igne,
Incombusta tamen Laurus in igne viret.

Amor Dei sincerus.

Quando Deum toto de pectore diligis, istam
Despicies vitam, percupiesque mori,
Ut tua vota bono saturentur fine, Deique,
Qui bene certasti, consociere gregi. —
En, quam parvus amor tua viscera replet et urit,
Quum terrena tuum cor magis ista cupit.
Quando Deum redamas sincero corde, fugaces
Spernis delicias, nec tibi terra sapit.
Vita perit, quam non consumpserit ignis amoris,
Vita tibi dabitur, si moriere tibi.
Fortiter in stadio currenti grande bravium
Et rutilans circa tempora laurus erit.

Axioma.

Purgatur *digne* lapis utque metallifer *igne*,
Sic probat et *mentes* crucis ignis, dura *ferentes*.

Dies 11. Augusti.

Ss. Tiburtius et Susanna MM.

Ambulat in prunis, luditque Tiburtius ignem;
Nec strictum gladium casta Susanna timet.

Strenuus miles et prudens.

Non temer aut timidus, sed strenuus inter utrumque
Pugnans pro Christi nomine martyr obit.
Non timet aut trepidat, quamvis crucietur in igne,
Aut gladius feriat membra caputque suum.
Suspicit ad coelos, ibi cernit clara tropaea
Et bona non unquam visa parata sibi. —
Quaere tibi sponsum Christo similemque paremque
Et videas, an post nauseet ille tibi.
Sed non ullus amor, nec cordis fortior ignis
Urit, quam Christi dulcis et unus amor.
Huic te desponsa, nam, sicut amaris ab ipso,
Sic illum digne semper amare potes.

Axioma.

Nil unquam *Christo* junctum sejungit ab *isto*:
Non genius *mundi*, dives possessio *fundi*,
Non aes neve *status*, metus aut timor aut *cruciatus*,
Non tentans *fastus*, non fallax daemonis *astus*;
Vita dicata *Deo*, crucis et signata *tropaeo*,
Defluit in *factis*, pietatis amore *peractis*.

Dies 12. Augusti.

St. Clara V.

Clara tibi nomen meruit victoria, non sunt
Proelia per claros tanta patrata viros.
Terreni nihil est in te, quod redderet umbram,
Nomine sed virtus clarior ipsa tuo.

Christi paupertas.

Jesus pauperiem sibi desponsavit eique
Mortis adusque diem junctus amore fuit.
Imo vel in specie panis vinique reclusum
Pauperiem numquam deseruisse vides.
Dilige pauperiem, sibi paupertatis amator
Veras divitias perpetuasque parat.
Christus divitibus Vaeh grande minatur eosque
Vix in coelestes dicit inire domos.

Axioma.

Clarior est *nullus*, nec Christo *carior ullus*,
Quam qui corde *litat* se Christo, noxia *vitat;*
Qui mundana *terit*, solum coelestia *quaerit;*
Qui pia vota *litat*, virtutum munere *ditat*
Ima omni *cordis*, terrenae libera *sordis*.

Dies 13. Augusti.

St. Cassianus Episcopus Brixinensis M.

Non aliter furit agmen apum, dum comminus hostem
Impetit et tenui vulnera figit acu.
Heu! senior fert mille neces, fert vulnera mille,
Mille per imbelles mors venit una manus.

Juventus.

Multa juventuti minitantur saepe pericla,
Et male cauta cito planta venusta perit.
Quod juvenis suescit, senior dimittere nescit,
Datque piro vitium parvula saepe pirus.
Dum tener est animus, velut hortum quaere colendum,
Serius ipse labor durior esse solet.
Quod juvenis nescit, vix discet, quando senescit;
Qui non est hodie, cras minus aptus erit.
In senibus praeter virtutem cuncta refuta,
Haec te felicem reddere sola potest.
Quod videt in senibus juvenis miratur amatque,
A bove majori discit arare minor.
Sed non cuncta proba, quia non te cuncta juvabunt,
Virtus sola bonas te docet ire vias.

Axioma.

Ut levis est *ventus*, levis est sic vana *juventus*.
Parva *juventutis* persaepe est cura *salutis*.

Dies 14. Augusti.

St. Hypolitus M.

(A quatuor equis membratim discerpitur.)

Supplicio debes nomen, qui celsa quaternis,
Ut citius peteres sidera, curris equis.

Fidei cultus.

Qui Domino credit, mandatis ejus obedit,
Qui mandata facit, diligit ipse Deum.
Ergo fides radix est, sancti germen amoris,
Imo vel ipsius fons et origo spei.
Vera fides frenat stimulos carnisque petulcae
Illecebras, mentem volvere casta docet.
Illa domat cordis motus sedatque feroces,
Sanctas virtutes inserit atque colit.
Otia non quaerit, sed spernens mollia calcat,
Ex animo patiens aspera ferre docet.
Non exaltatur de vitae prosperitate,
Rebus in adveris nescit habere metum.
Haec bona summa fides praestat mortalibus atque
Denique cultores ducit ad astra suos.
Discite regnantes fidei defendere donum,
Si cupitis populos vosque beare simul.

Axioma.

Si vis per *saltum* cito scandere laetus in *altum*,
Non parcas *nummis*, sic aequas infima *summis*.
Sed qui diva *petit*, quae diva potentia *reddit*,
Quando videt *flentem*, se monstret *commiserentem*.

Dies 15. Augusti.

I.

Assumptio B. M. V. ad coelos.

Virgo leves Zephiris invecta curilibus auras,
Quo suus ante volat Filius, astra petit.
Nec lunae, nec solis erat locus infima tellus,
Jure micant supero lunaque solque polo.

II.

St. Stanislaus Koska S. J.

Koska Polona polum studiose respicis, ergo
More tuo totus, Dive Polaris eras.

I.

Ad B. V. Mariam.

Tecum foecundans est summa potentia Patris,
Unde mihi poteris reddere semper opem.
Erudiens tecum Geniti sapientia perstat,
Hinc me per rectam ducis ad astra viam.
Candida mundities est tecum Flaminis, unde
Da mihi, ne labes me maculare queat.

II.

Vita longa.

Vivere si vitam longam feliciter optas,
  Vivere perpetuo quaere, beatus eris;
Hujus enim mundi vix vita suborta senescit,
  Et velut exiguus fumus et umbra fugit.

Axioma.

Ter vaeh! si *mentes* mala sunt exempla *sequentes;*
Evenient *grati* ter Christo, quando *Beati*
Cor per *virtutum* ducunt vestigia *tutum.*

Dies 16. Augusti.

I.

St. Rochus C.

Crux a matre tibi vitae primordia signat,
Et medium et finem, crux tua vita fuit.

II.

St. Hyacinthus C.

In terris Hyacinthus eras, jam tempore multo
Marcidus, in coelis flos Amarantus eris.

Doctrinae morales.

I.

Pestis, bella, fames hominum sunt dira flagella,
Queis Deus insanos ad meliora trahit.
Prospera corrumpunt homines, ideoque severis
Utitur his virgis, ut medeatur eis.

II.

Marcescunt omnes, quos mundus praestat honores,
Integra virtutum lilia semper erunt.
Futilis est splendor, qui non a sole perenni
Prodit et aeterna luce nitere potest.

Axioma.

Si cor amat *vanum*, quod transit, quam *malesanum!*
Vaeh! cor amans *mundum*, non pendens, quo sit *eundum.*
Sunt cultus *mundi* stygii praesagia *fundi.*
Marcent ut *flores*, quos mundus praestat *honores;*
Restant post *funus*, quos donat Trinus et *Unus.*
Si cor non *Christo* servit, nil tristius *isto.*
Si cor non *vitae* declinat lubrica *rite*,
Coela petens *nunquam*, corde hoc nil stultius *unquam.*

Dies 17. Augusti.

St. Mamas M.

Martyr martyribus fuit iste in carcere natus;
Sanguine martyrium vir facit esse ratum.

Morbus est martyrium.

Martyribus morbis languentes aequiparantur,
Si mala pro Christi semper amore ferunt,
Martyr ab igne truces suffert et ab ense dolores,
Innumerisque modis excruciatur atris.
Tortus ab internis languoribus angitur aeger,
Atque diuturno saepe dolore gemit.
Martyris est fidei testatio passio verae,
Solamenque spei gaudet habere bonae,
Signa micant in eo Christi flagrantis amoris,
Haec tria sunt vitae pignora perpetuae.
Aeger idem patiens testatur, quando ferendo
Omnia pro Christo corde paratus erit.
Namque fidem Christi profitetur eaque docente
Coelum promissum sperat, amatque Deum.

Axioma.

Hic maledictus *erit*, qui, quae sunt lubrica, *quaerit*,
Sed benedictus *erit*, qui peritura *terit*.

Dies 18. Augusti.

St. Agapitus M.

Es lustris, Agapite, puer, virtutibus es vir,
Hinc neque te ferulae, nec domuere ferae;
Te nullae prunae, te nulla incendia terrent;
Denique deponis post fera bella caput.

Bestiae animam infestantes.

Non alibi tibi quaere feras, quas caedere possis,
Et tua vota pio corde litare Deo.
Fastus interimas taurum mactesque superbum,
Et studeas humili mente placere Deo.
Turpis avaritiae gibbosum caede camelum,
Et da cuique suum pauperibusque tuum.
Macta foetentem putremque libidinis hircum,
Atque pudicitiae dilige suave decus.
Caede gulae vitulum nimio nutrimine pastum,
Deliciasque gulae sub ratione tene.
Invidiaeque canem mordacem scinde necaque,
Fratris plaude bonis, compatiare malis.
Sub cultro pungens aries cadat incitus irae,
Tristia cum duris perfer amore Dei.
Pigritiae perimens asinum combure per ignem,
Sisque Dei famulus sedulus atque tenax.

Axioma.

Fit mens *exortis* pugnis contra agmina *fortis*.
Praesto si sit *ei* gratia sancta *Dei*.
Gratia diva *detur* nobis, haec nos *comitetur*;
Deficit hoc *donum*, deficit omne *bonum*.

Dies 19. Augusti.

St. Thecla V. M.

Thecla feris objecta fuit pro nomine Jesu;
Non fera causa tuae mortis, at Agnus erat.

Judicium extremum.

Injustus finem sapientis denique cernet,
Quum coram Domini stabit uterque foro.
Criminis actorem proprium cor habebit iniquus,
Non defensor ei, sive patronus erit.
Sed justus magna cum libertate loquetur,
Hostes accusans carnificesque suos.
Deque repentino stupefactus fine scelestus,
In subita justi sospite sorte tremet.
Inde pavens ululat: Nos ecce, putavimus istos
Esse cavillandos risibus atque probris.
Nunc inter sanctos coeli laetantur in aula,
Et Seraphina canunt carmina sancta Deo.
Ergo viam recti non novimus justitiaeque
Sol numquam nobis clara lucerna fuit?
Vita velut navis, vestigia nulla relinquens
Transiit et miseros trudit in ora stygis.

Axioma.

Omne nefas *verum* vitae est fera vera *dierum;*
Vince malum *fortis*, nam fons est haec fera *mortis*.

Dies 20. Augusti.

St. Bernardus C. Dr. E.

Nobilis est nardus Christi Bernardus in horto,
Quae Mariae dulci lacte rigata fuit.

Magni viri.

Sicut clara viri micuerunt sidera docti,
A quibus est homini lucida facta fides.
Cordibus ardentem simul infudere calorem,
Quae fructus operum sic genuere bonos,
Sed non ore bonum solum docuere fidemque,
Ipsorum pariter vita lucerna fuit.
Splendor virtutum rutilans operumque bonorum
Allexit multos, ut sequerentur eos.
Se consumpserunt veluti meteora corusca,
Dum collustrarunt omnia luce sua.
Unde sibi nomen conquisivere celebre,
In coeloque manent nomina scripta sua.

Axioma.

Virtutum *flores* dant suaves semper *odores;*
Marcent hi *flores*, si non de lumine *rores*
Conspergunt *flores;* ut fiat, fervidus *ores.*

Dies 21. Augusti.

I.

St. Bassa M.

(Impiissimi mariti piissima conjux.)

Nubit inhumano mitissima Bassa marito,
Et patitur tantum pronuba Juno nefas!
Accipitri timidae jungi potuere columbae,
Cum gracilis socio juncta sit agna lupo.

II.

St. Agapius M.

(Bassae filius virgis caeditur.)

Comprobat esse animos puerilis poena viriles,
Nec puerum monstrat virga sed esse virum.

Applicationes morales.

I.

Vult Deus, ut nupti per foedus conjugiale
Sancte convivant et famulentur ei.
Ut bene gignendos studeant educere natos,
Moribus egregiis inque timore Dei.

II.

In pueris animus reperitur saepe virilis,
Quem Deus innocuis inserit atque regit.
Naviter hinc satagant genitores reddere natos
Morigeros sanctis rebus et esse pios.
Et ne peccati maculentur pestilitate,
Invigilent omni sedulitate sua.

Axioma.

Conjugium *multis* mala fert; qui nubere *vultis*,
In Christo *vitae* nupturi foedus *inite!*
Quod carni *carum*, fiet mox ut fel *amarum*;
Nuptas *innuptas* deperdit coeca *voluptas*.

Dies 22. Augusti.

St. Symphorianus M.

Nobilis ad summos ne purpura desit honores,
Purpura erat fusus, quem dabat ipse, cruor.

Usus temporis.

Longa dies homini, nox longa videtur inerti,
Et pede tardanti praeterit annus ei.
Mirum! tempus ei lente transire videtur,
Et nimia vitae de brevitate gemit.
Abbreviare tibi poteris noctemque diemque,
Si labor est socius temporis atque comes.
Haec tua sit constans pro tota regula vita,
Quam studeas omni sedulitate sequi:
»Nunc lege, nunc ora, nunc i, nunc scribe, labora,
Tunc erit hora brevis, tunc labor ipse levis«.
Et si te brevitas vitae nihilominus angit,
Altius ad vitam suspice perpetuam.
Sic brevitas vitae, sic vita diutina nullum
Angorem pariunt, taedia nulla creant.
Longa brevisque simul sic vita reconciliatur,
Longa labore brevis, denique perpes erit.

Axioma.

Succus *vitalis* cruor est, effundere *qualis*
Hunc vult pro *Christo*, sine fine beatur in *isto*.

Dies 23. Augusti.

I.

St. Asterius M.

Asterii dorsum flagris discinditur omne;
  Lictor in hoc palmas corpore nonne serit?

II.

St. Philippus Benitius C.

(Ordinis Servorum B. M. V. erat propagator.)

Nemo potest Dominis una servire duobus;
  At Domino et Dominae nos bene posse doces.

Applicationes morales.

I.

Quando fides minimo tentamine puncta vacillat,
  Non est digna Deo, nosque beare nequit.
Scilicet, ut fulvum spectatur in ignibus aurum,
  Tempore sic duro cernitur ipsa fides.
Rebus in angustis et flagris illa probatur,
  Omnia pro Christo ferre parata mala.

II.

Divitiis inhians miser est servitque duobus
   Deceptus dominis subjiciturque feris.
Prava cupido, dein satanas sunt ambo tyranni,
   Quos caeco cultu nutrit amatque nimis.
Hi tandem domini trudent ad tartara stultum;
   Et sic ipse perit divitiaeque suae.

Axioma.

Est hostis *Summi* sitis urens pectora *nummi;*
Quos agit ista *sitis*, vos calles mortis *aditis;*
Auro *seductus* remetet post funera *luctus.*
Ne laquei, *cura*, tibi sint, quae sunt *peritura.*

Dies 24. Augusti.

St. Bartholomaeus A.

Est clarus vetus Alcides a pelle leonis;
Attamen est propria clarior iste novus.
Non deerit, qui, Christe, suam tibi ponat abollam;
Qui velit et pellem ponere, rarus erit.

Conceptus amoris.

Esto Dei famulus, servique fideliter ipsi,
Hoc tibi servitium praemia magna feret.
Qualiter hunc praestes famulatum, disce duobus
Primis praeceptis praecipuisque Dei.
Ex toto Dominum supremum dilige corde,
Nempe Deum plusquam cuncta creata simul,
Ex anima tota, totis ex viribus ipsum
Ex totaque tua dilige mente Deum.
Mens humilis, zelusque Dei pro nomine cuncta
Acta, voluntatem, verba, viasque regat.
Quod tibi vis fieri, facias quoque fratribus ipsis,
Attamen ex solo semper amore Dei.
Hinc animae fratris vel corporis ardua, tamquam
Sint tua, de toto corde levare stude.

Axioma.

Dulcis amor *Christi*, qui nobis omne *dedisti.*
Vaeh tot *credentes* sunt saxea corda *gerentes.*
Larga sibi *gens est*, Christo parcissima *mens est.*

Dies 25. Augusti.

St. Ludovicus Rex Galliae.

Intactus media vixit Lodovicus in aula,
Vixit ut in medio lucida concha mari.
Spurca sit aula licet, salsae licet aequoris undae,
Nil trahit hic labis, nil trahit illa salis.

Pericula vitanda.

In magno quamvis, ego non peccabo, periclo,
Audax et petulans dicere saepe solet.
Sed Salomon sapiens cecidit cum Samsone forti,
Et plures misere deperiere pii.
Scimus eremitas, quos longe poenituisse
Novimus, hostili subjacuisse dolo.
Inque gravi remorans peccandi saepe periclo,
Non, ait, illecebrae me stimulare solent.
Sed Satanas vigilat, dum sis incurius ipse,
Ut te secura spe superare queat.
Quisquis amat lapsus, nec vult vitare periclum,
In culpae laqueos incidit atque perit.

Axioma.

Quam gregis est *caula* minor omnis principis *aula*,
Cujus rex *fortis* dissolvit vincula *mortis*.
Aulicus es *Christi*, dum servis presbiter *isti*.

Dies 26. Augusti.

Ss. Irenaeus et Abundius MM.

(St. Concordiam Virginem ex cloaca extrahunt et in eandem praecipitantur.)

Protrahitis luteo pretiosam e stercore gemmam,
Scilicet illa polo candida nympha fuit.
Sed vetus impietas vos coeno immersit eodem,
Et tamen in coelos purus uterque volat.

Erige lapsum.

Volvitur in vitiis velut in foetente cloaca,
Quem tenet adstrictum prava cupido sibi.
Et velut a vino jactatus et impos, ab illa
Viribus et propria surgere sponte nequit.
Christus promisit, se compensare perinde,
Quae praestas aliis, ac sibi facta forent.
Quisquis aquae miserens sitienti porrigit haustum,
De mercede bona non dubitare licet.
Quantum munus erit tibi, si de putre palude
Peccati miserum protrahis atque foves!
Quidquid enim Christi fit nomine, munere largo
Redditur in coelis, ut sua verba docent.

Axioma.

Quos agit *incestus* persaepe libidinis *aestus*,
Putet ut *immitis* Superis cor mensque *mephitis*.

Dies 27. Augusti.

St. Caesarius Arelatensis Episcopus.

(Eum allocuturus Rex Theodosius, deponebat diadema.)

Caesarium alloquitur posito diademate princeps;
Caesarius magno Caesare major erat.

Scandalum.

Raptat oves Christo quisquis dat scandala justis,
Tartareique simul jactat in ora lupi.
Eripiens animas pretioso sanguine Christi
Salvatas Satanae tradit easque necat.
Isto numquid erit magis execrabile crimen?
Num crudele magis? dignius igne magis?
Majores homo thesauros non possidet ullos,
Quam quibus est summi dignus amore Dei,
Suntque cor innocuum, pax et meritoria vita,
Gratia sanctificans et sine fine salus.
Eripit haec animae sceleratus, scandala praebens
Innocuae, ducens ad grave crimen eum.

Axioma.

Omne bonum, quod *habes*, contaminat unica *labes;*
Omnis honor *fumus*, si non sine crimine, *summus.*
Nobilitat *verum*, perdurans fine *dierum*,
Virtus summa *petens*, coelestia gaudia *reddens.*

Dies 28. Augusti.

St. Augustinus Episcopus.

Major es Augusto, non solum nomine sed re;
Nam regis innumeros et sine fine reges,
Quamvis luctus eras matri, modo ridet Apollo;
Ipse viro gaudet tam sapiente Deus.

Ecclesiae hostes.

Impius et petulans contemtor Numinis atque
Ipsius sponsae sollicitator atrox,
Invidia falsisque diis serpentis imago
Factus es antiqui, dira venena spuens.
Serpentem Domini maledictio serpere jussit,
Et terrae putrido pulvere semper ali,
Tuque super ventrem serpens hunc pronus adoras,
Deliciis mundi te satiare studens.
Perfidus in Christum lingua calamoque rebellas,
Tollere salvificam tendis ab orbe Petram.
Sed super astra vola, vaga contere sidera coeli,
Haec extingue manu cuncta procace tua.
Haec age, sed Christi corrodere desine Petram,
Nam prius illa cadent, quam cadat ista Petra.

Axioma.

Omne nefas *tollit,* si cor contritio *mollit.*
Reddunt *insontes,* qui deflent crimina *fontes.*

Dies 29. Augusti.

St. Joannis Baptistae decollatio.

Dicitur a superis infans fore magnus ephebis.
Qui nondum attacta repserat ortus humo.
Magnus ut ille foret, dum corporis integer extat,
Deposito capitis vertice major erat.

Castitatis praestantia.

Si tibi nota foret casti praestantia cordis,
Virtutem cuperes hanc coleresque pie.
Ut tamen hanc serves, hominum consortia vita,
Et studeas sensus mortificare tuos.
Res est magna mori tantae virtutis amore,
Sed meritum caste vivere majus erit. —
Si pro fratre tibi non fas est tradere vitam,
Vivere pro fratris prosperitate potes.
Funde preces humiles, ut convertatur, eumque
Corrige, recta doce, ferque salutis opem. —
Si culpare tuo debes pro munere crimen,
Ut caveas illud, mors patienda foret;
Nec tibi blanditiis licet excusare reatum,
Imo nefas verum dissimulare foret.

Axioma.

Quod nitet in vitro, in fundo mordebit ut *anguis;*
Hinc tot vaeh, foveae, sine causa vulnera, *sanguis;*
Hinc mala tot, morsus, rixae, lascivia, *lites:*
Ut caveas, potatorum consortia *vites.*

Dies 30. Augusti.

Ss. Felix et Adauctus MM.

Ad mortem rapitur Felix, se jungit Adauctus;
Martyrii palmas unus ut alter habet.

Bonum exemplum.

Ducit ad astra gregem sanctum, qui solis ad istar
Exemplo lucens, cor fovet ore docens,
Egerat ipse prius Christus docuitque deinde,
Exemplum verbis fortius esse monens.
Praevalet exemplum cunctis ad corda movenda
Verbis perpulchris rhetoricisque modis,
Perque viam longam, quamvis bona regula ducit,
Quum tamen exemplum cor breve fert per iter.
Quando doctrinam factis colit ipse magister,
Omnis eam veram credit amatque bonus.
Regna per exemplum regum conversa fuerunt
Saepius ad veram salvificamque fidem.
Sic bene vivendi forma praeluceat omnis,
Quisquis vult alios jussa docere Dei.
Sicque gregem clarum sibimet perducet adauctum,
Jubilus ad coeli regna beata Dei.

Axioma.

Saeva Deo *gratos* mors reddit terque *beatos*
Martyrii, *palmas* praebens victoribus *almas.*

Dies 31. Augusti.

St. Raymundus Nonnatus C.

Erga captivos ardet Raymundus amore,
Se sinit a Turcis captus amore capi.
Libertate alios donavit, postea liber
Ductus ad aethereas est super astra domos.

Captivis vincula solve.

Non licet injustis ob crimina carcere clausis
Illicitis mediis solvere vincla reis.
Imo nec innocuos fas est subducere poenis
Inflictis, vetitis artibus atque dolis.
Sed justis mediis injuste carcere plexis
Solvere vincla bonum jure putatur opus.
Diversisque modis opus hoc insigne patratur,
Dumodo fraternus ferveat intus amor.
Multi seipsos captivos sponte dederunt,
Ut vinctus frater liber abire queat.
Visere captivos, illis solatia ferre,
Sorte sua pressum, quisque levare potest.

Axioma.

Qui delet *vitae* sceleratae crimina *rite*,
Tartareae *mortis* divellit vincula *fortis*.

Mensis September.

Proemiat autumnus, terso sudore, colonum;
Teque beat finis, si pia vita fuit.

Inclyta Sanctorum splendens Regina corona



Angelicique chori, nos rege, nosque fove!

Dies 1. Septembris.

St. Josue dux Israel.

Numiades Jerichuntinas everterat arces,
Thebanae Amphion conditor arcis erat.
Dissimiles, similes ne plus quis dixerit? urbes
Construit iste lira, destruit ille tuba.

De musica.

Excitat affectus diversos musica cordis,
Et valet illa bonum sive creare malum.
Elevat in templis sacri solemnia cultus,
Inque Deum sensus ellicit illa pios.
Tristitiae tenebras, animumque serenat amarum,
Moerorisque facit non memorare sui.
Incitat armigeros invadere fortiter hostem,
Deque trucis mortis lance timere nihil.
Attamen adducit male cauto saepe pericla,
Lascivis generans sensa pudenda sonis.
Auribus est castis haec musica spurca molesta,
Quisque verecundus vitat et odit eam.

Axioma.

Non de ponte *cadit*, qui cum discrimine *vadit.*
Consilio *factum* non poenitet esse *peractum.*

Dies 2. Septembris.

St. Stephanus Rex Hungariae.

Terrestrem Stephano dedit olim Papa coronam,
Coelestem vero Virgo Maria dedit.

Opera misericordiae.

Actibus incumbas, quibus auxiliantur egeni,
Illos et pura perfice mente tua.
Semper suspicias, si das, in paupere Christum,
Accipit hoc Christus, quo refovetur egens.
Unde fame torto praebere cibaria cura,
Qui sitiunt, haustum porrige promptus aquae,
Hospitii tuto peregrinos collige tecto,
Et fratres nudos obtege veste tuos,
Vise malo pressos, captivis vincula solve,
Defuncti digno corpus humato loco.
Ista palam Judex clamabit voce tonante,
Quando dabit cunctis, quae meruere, suum.
Haec age! tunc Christus tibi dicet: Serve fidelis
Intres in Patris gaudia magna mei.

Axioma.

Res est *electi* perpes reverentia *recti.*
Mundus stat *fixus* juris fundamine *nixus.*
Si speculum *rex est* virtutis et optima *lex est,*
Coelis *pergrati* crescunt ad sidera *gnati.*

Dies 3. Septembris.

St. Proba V.

Tota pia es, nomenque tuum virtutibus implet,
Teque probat, quisquis nominat esse probam.
Ast adeo nostro pietas vilescit in aevo,
Improbus ut probrum censeat esse probum.

Tres sorores.

Simplicitas, probitas, sunt tres, pietasque sorores,
Quas aequalis idem causa patrare movet,
Ambulat in Domini *simplex* vivitque timore,
Sunt comites *probitas* et *pietatis* amor.
Non fert damna *probus*, cupit omnibus utilis esse,
Et *pietas* illum *simplicitasque* juvat.
Cuncta *pius* Domini facit ac operatur amore,
Fervescunt *probitas*, *simplicitasque* sequi.
Simplex innocuus, *probus* est in amore fidelis,
Omnia, quae faciunt, perficit ipse *pius*.
Ergo simplicitas, probitas pietasque sorores
Ad regnum tendunt, unde fuere, Dei. —

Axioma.

Non pretium *verum* dat quaelibet actio *rerum*,
Sed quae mente *pia* tendit ad astra *via*.

Dies 4. Septembris.

St. Rosalia V.

Haec patrias aedes fugiens elegit eremum,
 Atque fuit saxis durior ipsa sibi.
Virgo quidem latuit, sed fama volavit in orbem;
 Non sic nota foret, ni latuisset ita.

Solitudo.

Esse nequit solus sapiens, nam jugiter omnes
 Sunt secum, quique fuere, boni.
Ut quocumque placet, mittit sua libera sensa,
 Et quocumque nequit corpore, mente venit.
Si desunt homines, loquitur cum Numine solus,
 Quo magis ac illis se satiare potest.
Donec eum turbant homines populique tumultus,
 Se sine flante Deo sanctificare nequit.
Consuetudo solet cum multis crebra nocere,
 Nam vitium nobis indere quisque potest.
Sanctificare tamen nequit ex se quisque recessus,
 Ni sit pro solo coeptus honore Dei.

Axioma.

Vox divina *sonat*, quod nemo spem sibi *ponat*
In rebus *mundi*, quae causam dant *pereundi*.
Vaeh, mundi *infantes!* vana spe ludit *amantes;*
Omnia mors *tollit*, quam nulla potentia *mollit*.

Dies 5. Septembris.

St. Laurentius Justinianus Patriarcha.

Hic Patriarcha bonus, veluti Laurentius olim,
Omnia dispersit, pauperibusque dedit.

Cura pauperum.

Summa Dei bonitas homini dat amore paterno
Omnia pro vitae prosperitate suae.
Non tamen aequalem dat partem cuique bonorum,
Accipit hic majus pondus, at ille minus.
Sic homini juste bona dispartire relinquit,
Ut det pauperibus dives eosque juvet.
Illis inde Deus tua danda superflua monstrat,
Queis bona pro vita parcius ipse dedit.
Non est fas fratri cor egenti claudere, namque
Ex operis merito justificatur homo.
Qui dat pauperibus, non paupertate premetur,
Qui mendicantem spernit, egenus erit.
Ignes ardentes extinguit lympha, piaeque
Contra peccatum stant eleemosinae.

Axioma.

Gaudens et *large* miseris tua munera *sparge!*
Si das *plorando* perdis tua munera *dando.*
Si placidum *vultum* das, das sine munere *multum.*
Bis *das*, si cito *das*, nil *das*, si munera *tardas.*

Dies 6. Septembris.

St. Evortius Episcopus Aureliensis.

(Profectus ad redimendos captivos acclamatur Episcopus auspicio columbae.)

Captivam Domino praedam dum subripis hosti,
 In bona, quae vitas, retia praeda cadis.
Quodque magis mirum non te venaticus ales
 Accepit, sed te blanda columba capit.

Sacerdotium.

Vita sacerdotis multis conserta periclis
 Naviter est studio praemeditanda pio.
Nec status est alius cura potiore petendus,
 Quam quo tractantur munera sancta Dei.
Ordine donandus sacrarum cognitionis
 Rerum thesaurum debet habere bonum;
Integritas morum virtutibus inclyta vita,
 Innocui cordis candor adornet eum.
Integritas vitae numquam violetur oportet,
 Ne sit in interitum vita sacrata Deo.

Axioma.

In fastus *culmen* vibratur ab aethere *fulmen;*
Respicit at *mentes* Deus inferiora *petentes*,
Dum mundi *fastus* trahit ad te daemonis *astus*.

Dies 7. Septembris.

St. Lupus Episcopus.

I.

O mirum plane super omnia mira locandum!
Optimus est pastor scilicet ipse lupus.

II.

(Attilam Tyrannum a suo Episcopatu arcet.)

O Lupe! verus eras custos, non raptor ovilis,
A grege cum diras cogis abire feras.

III.

Ex anachoreta Lupus hic fit Episcopus, ergo
Ex agno pastor fit novus iste lupus.

Pastor bonus.

Jesus ipse bonus nos noscit Pastor amatque,
Nosque gregem charum non pudet esse suum.
Pascit oves, tutatur eas et dirigit omnes,
Numquam pastor eas deserit ipse bonus.
Pascit carne sua, pretioso sanguine potat,
Depellitque lupos, per sua jussa regit.

Est via duxque viae, verum, verique magister,
Est et vita proin non dubitanda salus.
Illecebras mundi multi vocemque sequuntur,
In barathrumque stygis denique sponte cadunt.
Qua nunc parte voles gressus intendere vitae?
Pastorem Christum selige, salvus eris. —

Axioma.

Si lupus es, *mersus* vitiis, ad ovile *reversus*
Abstergas *vitae* confessus crimina *rite*,
Ex bruto ut *tristi* fias ovis agnaque *Christi*.

Dies 8. Septembris.

Nativitas B. Mariae V.

Quid mundus? campus mortis: rosa munda Maria,
Mors mundo, campi flos nisi virgo viret.
Occasus mundo lethales attulit Eva,
Ortus vivificos Eva secunda tulit.

Nativitas Mariae Virg.

Nascitur, ut coelo reparentur damna creata
Propter spirituum, qui periere, scelus.
Laeti propterea regiones voce canora
Coelorum Superum personuere chori.
Num tua vita parat coelesti gaudia turmae?
An potius gaudet daemonis atra domus?
Nascitur, ut coeli splendoribus augeat aulam,
Num dignum coelis est tua vita decus?
Nascitur, ut fieret coeli regina, proinde
Sit tua propensam reddere cura tibi.
Illam ceu matrem simul et venerare patronam
Obsequiisque pio dilige corde tuam.

Axioma.

Evae si *nomen* vertis, sonat istud ut *omen*:
Attulit Eva *malum*, dum carpsit ab arbore *malum*;
Eva secunda *bonum* decerpsit ab arbore *donum*;
Crux est nostra *salus*, tulit at mala millia *malus*.

Dies 9. Septembris.

I.

St. Gorgonius M.

Quando suspensus terram inter et astra pependit,
In medio virtus maxima visa fuit.

II.

St. Corbinianus Episcopus Friesingensis.

Corbiniane! velis voces audire tuorum,
Nec corbes vacuas, Dive, remitte tuis.

Applicationes morales.

I.

Si vis perfectae culmen contingere vitae,
Mundum cum pompa sperne fugace sua.
Porro tibi fias hostis, propriaeque retundens
Sensa voluptatis, demoriare tibi.
Sit Deus ipse tuus Dominus, sit tota voluntas,
Quin tibi quid serves, sacrificata Deo.

II.

Quisque suam corbem meritis adferre repletam
  Debet, cum veniet judicis ante thronum.
Si venias operum vacua cum corbe bonorum,
  Protinus aeternos injiciere focos.
Cor quacumque tuum sit corbis libera culpa,
  Virtutumque nitor splendidus ornet eam.

Axioma.

Munus ut *agnoscat* Deus et quodcunque *litamen*,
  Qui litat, *ignoscat*, vult Deus ante *tamen*.

Dies 10. Septembris.

St. Nicolaus Tolentinus.

Sat metra nulla tuas poterunt comprendere vires,
Tam pius atque potens, mi Nicolae, vires.

Animi tranquillitas.

Ut sis contentus cum conditione statuque,
In quo te posuit providus ipse Deus,
Teipsum facias tranquillum semper oportet,
Omnia persuasus sic statuisse Deum.
Ne cupias animi dotes cumulumque bonorum,
Quam tibi contribuit dextra benigna Dei.
Divitiae nequeunt hominem, sed solus et unus,
Qui tranquilla facit corda, beare Deus.
Non satis est rebus non his inhiare caducis,
Sed neque dona Dei sunt cupienda nimis.
Quae tibi largitus Deus est, his utere donis,
Tunc ejus dabitur semper amore frui.
Plus amor iste Dei tibi sit, quam quidquid in orbe
In coeloque boni cor reperire potest.

Axioma.

Qui cupit in lecto lucem spectare *diei*,
Divitiae vel honor raro dabuntur *ei*.

Dies 11. Septembris.

Ss. Felix et Regula MM.

Hi fidei lumen Tiguri caesi ense tulerunt,
Nunc caeca urbs iterum nil prout ante videt.
Urbs decus Helvetiae! cur sic nova dogmata credis?
Nil dubites, Felix Regula prisca fides.

Error Protestantium.

Quisquis de fidei desciscit tramite, caecus
Caecorumque viae dux reputandus erit.
Si tua vera fides, Protestans! esset habenda,
Christi de Petra verba caduca forent,
Quod numquam stygiae portae sint praevaliturae
Adversus firmam perpetuamque Petram.
Perfidus haec monachus fecisset inania, perque
Saecla foret Christi tradita falsa fides.
Haec, nisi sit fatuus, non audet credere quisquam,
Et cui lux sanae mentis ademta fuit.
Namque Deum verum Christum veraciter esse
Credere, nec Christo credere, mente caret.
Si sapis ad fidei, quae nos Ecclesia tradit
Linquens errores, dogmata sancta redi.

Axioma.

Multi, vaeh! *dantur*, qui de Plegethonte *jocantur;*
Sed vereor, fiat ne *jocus* iste *focus.*

Dies 12. Septembris.

Ss. Protus et Hyacinthus MM.

Jam sunt securi, queis vita est dempta securi;
Contempsere deos, nunc colit aether eos.

Justi persecutio.

Impietas justos male tractat persequiturque,
Obprobriis vexat terrificatque minis.
Daemon ad hanc socios conducit et incitat artem,
Diversisque modis excruciare docet.
Sed quibus est virtus constanter cuncta ferendi,
Exitus est vitae certa sequestra bonae.
Christus enim verbis docuit vitaque probavit,
Esse crucem certam, quae dat ad astra viam.
Felices, odio recti quos terra flagellat,
Venditur his merces non peritura probis.
Hinc nihil adversi, cor, nec sors turbet iniqua,
Tunc in corde tuo gaudia paxque latent.

Axioma.

Quod nunc est *gramen*, fit parvo tempore *stramen*;
Mox *deflorescit*, quod crescens vere *virescit*.
Hora qui *mortis* divis plantatur in *hortis*,
Est flos *virtutum*, qui tendit ad aethera *tutum*.

Dies 13. Septembris.

St. Euphemia V. M.

Se cruce consignat totam, prius ergo puella,
Quam cruciata foret, jam cruciata fuit.

Signum Crucis.

Catholicae fidei numquam moveare pudore,
Nec signare manu te vereare cruce.
Res solet adversas crucis hoc dulcescere signum,
Ex quo grande mali quisque levamen habet.
Hoc crucis expellit Satanae tentamina signum,
Insultusque stygis proterit atque fugat.
Est pariter validum mortis solamen in hora,
Tessera, quae certae signa salutis habet.
Praestigiatorum laqueos discindit et artis,
Commentum magicae detegit illa dolos.
Ludibriis ridet decumanis ista protervus
Tam veneranda suae signa salutis homo.
Tu tamen hoc signo bene frontem, pectus et ora
Signans, arcanum confiteare crucis.

Axioma.

Orcum *percellit* crux, hostis et agmina *pellit*,
Casto Agni *mentes* vestigia corde *sequentes*
Firmat, si *vitae* pugnant certamina *rite;*
Gratia, vis, *lux est*, via, crux et ad aethera *dux est.*

Dies 14. Septembris.

Exaltatio St. Crucis.

Crux exaltata est hodie, crux nobilis, utque
Te crux exaltet, te crucifige prius.

Lignum Crucis.

Ponderis ingentis ligno conscendit onustus
Christus iniquorum, suppliciique locum.
Trabs peracuta fuit, scelerum tamen incuba moles
Totius mundi, quam gravis illa fuit!
Quis fuit ille faber, quis ferreus ille feroxque,
Qui Christi scapulis hoc fabricavit onus?
Est homo peccator faber impius et truculentae
Exactor Christi saevus atroxque necis.
Sed modo per totum crux mundum clara triumphat,
Subjiciens hominum pectora dura sibi.
In stadio ligni congressus fortis athleta
Devicit mortem, crimina, vimque stygis;
Asseclisque suis reseravit limina coeli,
Qui crucis aerumnas mente tulere pio!

Axioma.

Quantus amor *Christi!* Te morti sponte *dedisti*,
Nosque jugo *tristi* miserescens *eripuisti;*
In cruce *vicisti*, dum mortem morte *tulisti.*

Dies 15. Septembris.

St. Aichardus Abbas.

(Cacodaemones aqua lustrali fugat.)

Dic age, cum liquidae reprimant incendia lymphae,
Igneus egelidas cur fugit orcus aquas?

Aqua lustralis.

Daemon abhorret aquam lustralem, namque potestas,
Qua possedit aquas, haec sibi demta fuit.
Scilicet ob culpam, quam perpetravit Adamus,
Ipse creaturis damna referre potest.
Ac velut imperium retinet crudele per orbem,
Infestans homines resque furore suo.
Sed perfundit aquam benedictio robore coeli,
Ut queat a multis pellere rebus eum.
Impos sic homini satan est rebusque nocendi,
Quando sacratis his reluuntur aquis.
Et tremefactus abit terrore repletus et ira,
Et praefert uri, quam tolerare lui.

Axioma.

Reddunt *insontes*, qui deflent crimina, *fontes;*
Numen *placatur*, gratia moxque *datur*.
Omne nefas *tollit*, quae cor contritio *mollit;*
Per »miserere *mei*« ! tollitur ira *Dei*.

Dies 16. Septembris.

St. Cyriacus Episcopus M.

Laus fuerat tibi magna, caput Carthaginis esse,
  Maxima, cum cessas esse et habere caput.

Dei famulus.

Filius est Patris coelestis, quisquis ad illum
  Cuncta refert, nec quid computat esse suum.
Quidquid ei tribuit Deus, id cum foenore facto
  Intendit Dominum rursus habere suum.
Corporis et vires animae famulantur eidem,
  Omnia pro solo patrat honore Dei.
Gaudia non tollunt illum, non tristia turbant,
  Laetus in adversis laudat amatque Deum.
In fidei cultu virtutes excolit omnes,
  Nullis opprobriis territus atque minis.
Imo nec a diris refugit cruciatibus ullis,
  Si contemta fides esset honorque Dei.
Et bona fortunae potius vitamque relinquit,
  Quam sineret fidei lumen ab hoste rapi.

Axioma.

Tu tua non *jacta*, quamvis sint perbene *facta!*
Qui sese *laudat*, se laudis munere *fraudat.*
Ut laudes *verae* post mortem sint tibi, *quaere!*

Dies 17. Septembris.

St. Flocellus puer M.

Flocellum puerum lacerat fera bestia, martyr
Ingreditur coelos iste per ora ferae.

Heroes fidei.

Accipit a crebro justus tentamine robur,
Fortius aggreditur, quo magis impetitur.
Quo plus lucta furit, magis inflammatur ad illam,
Ad bellumque manus non sinit esse pigras.
Athletis nomen sine pugna nemo meretur,
Nec sibi victoris clara corona nitet.
Nullus enim miles sine pugna subdidit hostem,
Lassus inersque statim territus inde fugit.
Martyrii fortes heroës aspice sanctos,
Qui mala pro Christo non timuere pati.
Caesi sunt gladiis, discerpti more ferarum,
Impavidoque minas corde tulere truces.
Perpetuas meruere proin, nitidasque coronas,
Quae non deficient luce nitere sua.
Arma quibus valeas inimicos vincere, numquam
Desunt, imo Dei semper habebis opem.

Axioma.

Si teneri *flores* spargunt virtutis *odores*,
Si juvenis *Christo* servit, nil carius *isto*.

Dies 18. Septembris.

St. Ferreolus e milite M.

Neu litet hostilem Marti prout ante cruorem,
Fundere pro Christo maluit ille suum.

Duobus dominis servire nequis.

Nemo potest dominis pariter servire duobus,
Exigit iste suum, postulat ille suum.
Hic jubet, ille vetat, num contentabis utrumque?
Alterutri debes temnere jussa sua.
Illud, quod Dominus supremus praecipit, imple,
Et quod vult alius, neglige, praeter eum.
Sic egere Dei sancti famulique fideles,
Qui Dominum solum percoluere Deum.
Divitias hominum, mundique dedere favorem,
Quin et amore Dei non timuere mori.
Nobile servitium, quod cum splendore triumphi
Praeparat in coelis non peritura bona.
Huic Domino famulare tuo reliquosque refuta,
Qui dant mercedem, quae velut umbra perit.
Huic te junge tuo Domino per gluten amoris,
Qui valet eximiis te cumulare bonis.

Axioma.

Quisquis *belligerat*, stygios sit fortis in *hostes*,
Vincere se *quaerat*, sic pandit ad aethera *postes*.

Dies 19. Septembris.

St. Januarius M.

Si mensis, cui nomen habes par, primus in anno,
Tu tam cur anni gloria, sero venis.

Reliquiae Sanctorum.

Membra, quibus Sancti tot facta stupenda patrarunt
A nobis cultu sunt veneranda pio.
Quippe per illa suos actus in mente volutos
Sanctificare foris mox voluere simul.
Omnes sic vires operantes, semper honorem
Intendere Dei spargere luce sua.
Delicias animae coeli gaudere merentur,
Et merito Sanctos nos veneramur eos.
Nonne simul cultus ea membra merentur honorem,
Quae factis animae participare bonis?
Praestitit imo Deus bona plurima saepe per illas
Reliquias homini, fovit opemque tulit,
Illas Christicolae devote jure verentur,
Et per eas coeli munera larga petunt.

Axioma.

Sol in *vere solet* concretos *solvere* rivos,
Sed siccando *salem sol solidare solet.*
Crux glaciem *mentis* sic solvit, dura *ferentis*,
Mens bona quaeque *dolet*, crux solidare *solet.*

Dies 20. Septembris.

St. Eustachius M.

Vere nulla magis fuit haec venatio felix,
Praedam ubi mortali se dedit ipse Deus.

Venatio spiritualis.

Illa tibi praedam venatio conferet amplam,
Quo mala mortificas, et bona corde capis.
Mundus non aliud, quam quod putredine marcet,
Quaerit et ad nugas jacta sagitta volat.
Id, quod cor recreat, quod verae pabula vitae
Suppeditat, refugit, nec sua mella sapit.
In regno Christi regio venatica larga,
Et bona praedandi copia magna patet.
Divitias animae poteris captare perennes,
Si vigil et prudens retia tendis eis.
Hostes, insidias nectentes saepe dolosque,
Detegis et resecas auxiliante Deo.
Sic velut insignis venator ad astra migrabis,
Jucundis dapibus perfruiturus ibi.

Axioma.

Ut laqueos *tendit* venator avesque *prehendit*,
Sic mors *venatur*, mortalibus *insidiatur*.
Hinc omnis *natus* semper sit abire *paratus;*
Dicere quis, *qualis*, queat, hora sit *exitialis*.

Dies 21. Septembris.

St. Matthaeus A. M.

Matthaeus velox argentum deserit, et se
Ut faciat lucrum, deseruisse juvat.

Gratia.

Quisquis pro Christo bona linquit amore caduca,
Colliget in regno centupla lucra Dei.
Desere teipsum cohibeque cupidinis aestum,
Et propera rectas promptus inire vias.
Hoc non perficies, nisi commovearis ab alto,
Et lumen mentis nubila dulce fuget.
Advenit e coelis, sed transit gratia, quando
Cor durum renuens ostia claudit ei.
Hinc ubi dulcisona cor pulsat gratia voce,
Auscultare lubens, quodque jubebit, age.
Tunc simul intrabit cor pax et sancta voluptas,
Quae te pro Christo coget amare crucem.
Praeveniens et concomitans te perficiensque
Gratia sit tecum, tu simul esto comes.

Axioma.

Est casus *rarus*, quod non sit dives *avarus*.
Vix est in *mundo* dives, qui dicit: »*abundo!*«
Numen pro *nummis*, animam pro foenore *vendit*,
Infima emit *summis*, et sic ad tartara *tendit*.

Dies 22. Septembris.

I.

St. Candidus M.

Candide, nomen habes nivis, in baptismate sumptum;
Fis tamen ipse tuo sanguine candidior.

II.

Ss. Emerita et Digna VV. MM.

Emerita est martyr, martyr quoque Digna meretur,
Ista quod illa decus Digna quod Emerita.

Applicationes morales.

I.

Christiades omnes ad sanctam tendere vitam
Christi doctrinae dogmata sancta jubent.
Omnes praeterea baptismi fonte lavati
Hisce salutiferis sanctificantur aquis.
Christiades igitur Sancti sunt jure vocati,
Quum pariter Christi nobile nomen habent.

II.

Virtus est suavis patientia, quatenus ipsa
Ardua pro summi portat amore Dei.
Vir forti praestat patiens, urbesque superbas
Vilius est, sensus quam domuisse suos.

Axioma.

Multa trahunt post se sociales taedia *taedae;*
Plurima vaeh Veneris, turpi inveniuntur in *aede.*
Magna nimis *pars est,* si sedula virginis *ars est,*
Virgineum *florem* simul et servare *pudorem.*

Dies 23. Septembris.

St. Thecla V. M.

Mirare herculeos in Virgine, terra, labores,
Mirare imbelli monstra subacta manu.
Sancta feras inter versatur sospita Virgo,
Induit en mores Virginis ipsa fera.
Castum ergo quicunque potes jugulare pudorem,
Saevior an monstris, an potes esse feris?

Virginitatis praestantia.

Virgo tormentis non victa ferisque minisque,
Nonne magis claris est celebranda viris?
Non gladios tantum, non caedes vincit et ignes,
Non barathri tantum vincula nulla timet,
Non, neque carnificum vultus, vel aperta ferarum
Ora furorque movent, incutiuntque metum.
Virgo vel internos magis acres subjugat hostes,
In quos de coelo tela recepta jacit.
Illecebras carnis, mundi stygiosque furores,
Daemonis insidias trudit easque fugat.
Cernimus heroes exercituumque potentes
Hostibus internis subjacuisse duces,
Ac velut imbelles agitante cupidine victi,
Turpiter enerves deposuisse manus.
Numquid erit virgo simul et tam strenua martyr
Non magis ac celsi laude colenda viri? —

Axioma.

Vaeh tibi! quando *bonis* et castis retia *ponis;*
Vaeh tibi! si *mentes* divi Agni castra *sequentes,*
Deturpas *mendis,* stygiis vi fraudeque *vendis:*
Divi quam *diras* patieris judicis *iras.*

Dies 24. Septembris.

St. Rupertus Episcopus.

Rupertus fuerat rupes, immobilis ergo
  Stabit, quae super hanc structa cathedra fuit.

Ecclesiae hostes.

Saeviit impietas incredula semper in illos,
  Qui Christi sanctam percoluere fidem.
Illa Sacerdotum praeprimis inclyta membra
  Diris suppliciis succubuere magis.
Haec mala florescens Ecclesia passa sub ortu,
  Posthac diversa vi repetita videt.
Multa tulit, toleravit adhuc Ecclesia plura,
  Mors, Satan, infernus, jugiter anxit eam.
Sed magis accrevit magis aucta refloruit ipsa,
  Quo magis interitus visus adesse fuit.
Incrementa magis tribulata recepit ab illis,
  Qui regni finem concupiere Dei.
Sic et temporibus nostris immobile centrum
  Christiadum bello vis inimica premit.
Sectae massonicae, sceleris cujusque choragi
  Circumeunt rupem, quae titubare nequit.
Projicit et crispat genus hoc furaciter arma
  Contra Pontificis, vana futura, thronum.

An validus magis esse putas, quam porta gehennae,
  Quae non est umquam praevalitura Petrae?
Non tangunt altos hostilia spicula coelos,
  Decidit in proprium jacta sagitta caput.
Summa petit livor, perflant altissima venti,
  Summa petunt pariter fulmina missa Jovis.
Sis memor! ad rupem firmatam robore coeli,
  Frangitur illisum conteriturque caput.
Stat, stetit et stabit, solidam nec tartara trudent
  A pede, quo posuit Christus in orbe Petram.
Stat, stetit, et stabit, petulansque trifurcifer omnis
  Ex Acherontis aquis stare videbit eam.
Niteris incassum Petri submergere navem,
  Fluctuat, at numquam mergitur illa ratis.

Axioma.

Patrum verba *nota*, minimum cave spernere *jota;*
  Multa licet *capias*, plus tibi ne *sapias*.

Dies 25. Septembris.

St. Phocas M.

(A fratre natu maximo porcis pascendis praeficitur.)

Cum fratrem suibus frater praefecit alendis,
Proh facinus! porcis tradita gemma fuit.

Peccator vitiis immersus.

Turpiter in vitiis immersi cuncta repellunt,
Quae possent animae ferre salutis opem.
Hinc Christus similes hos porcis innuit esse,
Queis placet in putrido volvere rostra luto.
Ardua propterea res est haec vertere corda,
Ut tandem capiant ad meliora famem.
Hinc ait, ante sues noli dispergere gemmas,
Namque terent illas utpote vile lutum.
Hos speciale Dei faciet resipiscere donum,
Et tandem miseros ad meliora trahit.
Saepe solent animum quoque lenia verba movere,
Si tamen ignescens gratia sancta juvat. —

Axioma.

Est cor *thesauro* toto et pretiosius *auro;*
Non amor hoc *fundi* turpet, non gloria *mundi!*
Non subeat *limen* nummi insatiabile *crimen!*
Si studeas *nummis*, mox praefers infima *summis.*

Dies 26. Septembris.

St. Cyprianus M.

Nil se posse crucem contra styx ipsa fatetur;
Orcus convertit me, Cyprianus ait.

Procrastinatio.

Mors incerta, salus operanda gravissima res est,
Sed funesta nimis, sero piare malum.
Non est, crede mihi, sapientis, dicere: vivam;
Hac, dic, vivo die, crastina sero venit.
Impiger ad veniam post lapsum curre petendam,
Multi luxerunt, non doluisse statim.
Promisit veniam Deus; exspectare reumque
Cogere nolentem non dedit ipse fidem.
Dicere, peccator, vocem: »*cras*«, semper abhorre,
Nam vox haec multis certa ruina fuit.
Hinc hodierna dies sit lux et origo salutis,
Nam tibi nequaquam crastina certa datur.

Axioma.

Mens humilis, *castum* cor pellit daemonis *astum*,
Gratia quam *ditat*, mens subdola retia *vitat*.
Et si *defendit* Deus, hoc cor ad aethera *tendit*.

Dies 27. Septembris.

St. Cosmas et Damianus Medici MM.

I.

Cur mittis medicos in coelum, stulte tyranne!
Hic varii morbi sunt, ibi nulla lues.

II.

Aegris gratuito Cosmas cum fratre medetur,
Accursum medicos cur habuisse stupes?

Aegritudo.

Firma salus mentis cum corporis integritate
Sunt bona prae cunctis appretianda magis.
Sed turbata premit valetudo gravamine vitam,
Et tribulat variis nocte dieque malis.
Hoc grave tentamen valet ad peccata luenda;
Virtutisque simul promicat inde valor.
Si medicus tandem morbum superavit in aegro,
Hoc tribuat dono semper uterque Dei.
Hoc nihil imminuit medici sed adauget honorem,
In medicumque fidem tunc magis aeger habet.

Axioma.

Est vitium *morbus*, peccans est luminis *orbus*.
Est febris *insignis*, malesuada — libidinis *ignis;*
Morbus vita *levis*, languens et inertia *quaevis*,
Quae vires *tollit*, quae torpens corpora *mollit;*
Pestiferum *virus* morbusque superbia *dirus*.
Perpetis est *dignus* mortis livore *malignus;*
Non rectus *visus*, non lustrat labia *risus;*
Est odio *plenum* cor, continet osque *venenum*.
Multum *deliras*, si *diras* surgis in *iras;*
Qui solet *irasci*, solet ille et sanguine *pasci*.
Est hostis *Summi* sitis urens pectora *nummi;*
Hoc sceleris *virus* quem possidet, est miser *irus;*
Attenuant *curae* corpus miserabile *durae*,
Et cruciant *mentes* insomnia furta *paventes*.
Reddit *dementem* mergens in pocula *mentem;*
Crapula saepe *virum*, vim frangens, reddit et *irum;*
Causa est *morborum*, mater foecunda *malorum*.
Est medicus *Jesus*, toto olim corpore *laesus;*
Sanguine, qui *manat*, peccantis vulnera *sanat*,
Si fit *contritae* mentis confessio *rite*.

Dies 28. Septembris.

St. Wenceslaus Rex M.

(Dux Bohemiae dolo matris Drahomirae occisus, quae hiatu terrae absorpta est.)

Improba dum rapidis vehitur Drahomira quadrigis,
  In stygias terrae chasmate fertur aquas.
Terra parens illi praebet se jure novercam,
  Quae propriae sobolis saeva noverca fuit.

Solida Petra.

Christus ait: Sum Petra domus ego fabrificandae,
  Qua sine stare nequit firmiter ulla domus.
Nulla potest fieri domus aut provincia felix,
  Quae non sit super hanc aedificata Petram.
Imperium nullum, communio nulla beata
  Esse potest, illa ni solidata Petra.
Doctrinis Christi populi se subdere debent,
  Quae cupiunt vera prosperitate frui.
Bis jam mille docent et nostri temporis anni,
  His sine tot gentes et periisse thronos.
Donec Religio Christi non regna reformat,
  Omnia lethaeis mersa ferentur aquis.

Axioma.

Justitiae *sensus* dat justo pondere *census*,
Et juris *cultor* constans est criminis *ultor*,
Sunt fontes *pacis* juris decreta *tenacis*.

Dies 29. Septembris.

St. Michael Archangelus.

Luciferum cur trudis ad ima, suprema volentem?
Unius est regnum, non datur hic paritas.

Angeli rebelles.

Dotibus eximiis Deus exornavit et amplis
Angelicas mentes, ut famulentur ei.
Surrexere tamen tumidi splendore rebelles,
Muneris immemores, quo nituere, sui.
Imperii cupidi, sedes ardenter anhelant
Numinis audaces scandere perpetuas.
Et bello pugnare parant cum Rege supremo
Multi dicentes: Non famulemur ei.
Sed rex iratus subito fera tartara condit,
Ignibus accensis horrida facta suis.
Sedibus ejectos coelestibus igne rebelles
Stringit adurendos atra catena stygis.
Horum monstrorum nunc daemon quodque vocatur,
Insidias homini perniciemque parans.

Axioma.

Te non *exalta*, qui primus Lucifer *alta*
Quaerens *intumuit*, primus ad ima *ruit*.

Dies 30. Septembris.

St. Hieronymus Eccl. D.

Quod toties pugno, toties quod vindice saxo
Contudit, attritum nemo cor esse neget.

Peccator resipiscens.

Transit in electum Domini peccator amicum,
Cum prius ipsius trux inimicus erat,
Imo Dei charus fit natus, amore receptus,
Quando Sacramento crimine facta luit,
Si commissa dolens et amare defleat, atque
Quin aliquid taceat, confiteatur ea,
Praeterea statuat meliorem ducere vitam,
Et pro delictis aspera quaeque pati.
Pax animum penetrat tunc dulcis, mensque superno
Clarius agnoscit lumine vera bona.
Nil magis exhilarat Dominum, quam quando resurgit,
Et redit ad luctum corde dolente reus.
Judas offendit Dominum, quia prodidit ipsum,
Sed magis ob mortem, quam dedit ipse sibi. S. Hier.

Axioma.

Crimina *deflenti* non mortificatio *desit*;
Quod facit, et *menti* prudens sapientia *praesit*.
Mortificans *sensum*, supplex contritio *cordis*,
Numen et *offensum* placans, est lotio *sordis*.

Mensis October.

Uva dat ut pedibus perdulces pressa liquores;
Mens sit grata Deo pondere pressa Crucis.


Accipe, Te petimus, Rosa mystica Virgo Maria,
Quas humili ferimus mente piaque rosas!

Dies 1. Octobris.

St. Remigius Ep. Rhemensis.

Ut bene naviculam Petri pro parte gubernet,
Remos Remigio dirigit ille suos.

Navigatio spiritualis.

Artem tempestas nautae furibunda procellis,
Sed non temperies luxque serena probat.
Quod nautae faciunt in tempestate, perinde
Tu facias, quando sollicitatus eris.
Vela voluptatum compescens contrahe sensus,
Ne cor concutiat prava cupido tuum.
Declina mundi scopulos et ab aequoris undis
Evehe navigium cordis in alta tuum.
In mare navigii scelerum grave projice pondus,
Atque Sacramento cor leviare stude.
Belliger in pugnis in tempestate probatur
Nauta, nec in duris rebus uterque tremit.
Quam sublime feras inter tot stare ruinas
Humani generis, nec trepidare metu!
Remigat impavidus vigilansque per aequora mundi
Nauta, nec angit eum tetra procella maris. —

Axioma.

Naufragii *tristis* damnum non imminet *istis*,
Quorum *Nauclerus* sancta est Ecclesia *verus*.

Dies 2. Octobris.

St. Leodegarius E. M.

Effossis oculis, linguam, caput amputat hostis;
En toties gradibus, cladibus astra petit.

Caecitas utilis.

Saepe quidem nullos oculos prodesset habere,
Hinc velut his careas convenienter agas.
Claude tuos oculos, ne tentent turpia mentem,
Et ne cor capiat semina putra mali;
Quae tibi tristitiam paritura metumque videbis,
Aversis oculis transvolitare sinas.
Imo bonum, quod habes, ne demirare libenter,
Ne tibi complaceas, attribuasque tibi.
Sic tua, non fratris quoque dilige menda videre,
Haec ex corde dein radere quaere tuo.
Aures claude tuas nocuis vanisque loquelis,
Quae cordis pacem carpere saepe solent.
Dilige stare domi, sed si non corpore fas est,
Mens nugis hominum vertere terga potest.
Noli multa loqui tecumque loquacior esto,
Pluribus a vexis sic procul esse potes.

Axioma.

Hoc nulli *certum*, cui pugna velit dare *sertum*,
Nam vox vera *sonat:* finis non pugna *coronat*.

Dies 3. Octobris.

St. Joannes Cuzubika C.

(E montis vertice in praeceps agitur a Cacodaemone, quem saepe humano corpore exire coegit.)

Corporis hospitio tortorem cedere jussit;
Infrendens divum trudit ad ima jugi.
Illaesus risit: »Casu graviore ruebas,
Dum malus ambires regia sceptra Jovis.«

Socii daemonis.

Ingreditur solus numquam certamina daemon,
Sed sibi consortes associare solet.
Nam caput ipsius contritum nulla potestas
Imbuit, haec penitus debilitata jacet.
Junctus propterea mundi carnisque petulcae
Illecebris homines ad mala facta trahit.
Daemonis insultus tamen omnes conteret ille,
Qui petit a Domino robur et auxilium.

Axioma.

Desit vana *sitis* laudum, fons causaque *litis*,
Vana *tumescentis* demensque superbia *mentis*.
Labes ista *pedes* posuit superas et in *aedes*,
Et quos *delusit*, miseros ad tartara *trusit;*
Nos quoque si *captat*, miseros ad tartara *raptat*.

Dies 4. Octobris.

St. Franciscus Seraphicus C.

(Eidem cum aliis quinque ejusdem nominis Sanctis: Francisco Xaverio, de Paula, de Sales, Borgia de Senis.)

Vulnera Franciscus Christi sacra quinque recepit;
Quinque talenta suo multiplicavit Hero.

Unio cum Deo.

Si te corde Deo toto sacrare peroptas,
Desine, quod mundus praestat, amare bonum.
Nemo potest adamare Deum mundoque favere,
Istum linque prius, quam tibi raptus erit.
A mundi vinclis hujus carnisque solutus,
Jungeris intimius, totus amore Deo.
Experiere dein cum Christo vivere junctum,
Omnibus in mundo dulcius esse bonis.
Et siquidem Christo similis, te mortificando
Esse studes, omnis crux tibi dulcis erit.
Si te mortificas, crucifigens carnis amorem,
Dignum corpus erit stigmata ferre tuum. S. Hier.

Axioma.

Tot sunt, o *sontes!* quot Christi vulnera, *fontes*,
Qui mundant *mentes*, malefacta peracta *dolentes*.

Dies 5. Octobris.

St. Placidus M.

(Super undas ambulat.)

Servari rapidis Placidus debebat ab undis;
Tam terrae placidus, tam superisque fuit.

Mare tentationum.

Ambulat omnis homo veluti super aequoris undas,
In quibus interitus jugiter instat ei.
Innumeri fluctus agitant tentaminis illum,
Et sepelire sua vi minitantur eum.
Daemon et illecebrae carnis, pellacia mundi
Perturbant animam continuoque premunt.
Attamen hi fluctus rabidi reprimuntur et omnis,
Praecipiente Deo, mota procella tacet.
Ergo Dei pete subsidium, pete lumen, ut illo
Interitus videas cuncta pericla tui.
Imo Deus tribuet validum tibi robur, ut omnes
Tentantis motus vimque domare queas.
His cum subsidiis proprium conjunge laborem,
Ut sic victoris perficiatur opus.

Axioma.

Felices *dici* possunt, qui pacis *amici*
Sunt et qui *mites* evitant jurgia, *lites;*
Ipse suos *natos* vocat hos Deus atque *beatos*.

Dies 6. Octobris.

St. Bruno C.

(Fundator Ordinis Carthusianorum.)

Brunonem faciunt aliena pericula cautum,
Et casus socii causa salutis erat;
Quippe videns reprobi spectacula dira magistri,
Sic a non vivis vivere doctus erat.

Judicium extremum.

Judicium latet omne Dei quemcumque severum,
Quod mens scrutari nulla creata valet.
Attamen hoc homini clare cuicumque patebit,
Cum steterit justi judicis ante thronum.
Quod latet, apparet tunc, nil remanebit inultum,
Cum judex pariter testis et ultor erit.
Quos bona vita probat, quos vita nefaria damnat,
Hos ad judicium provocat ante suum.
Aeternos reprobos cruciandos tradet ad ignes,
Dum justis coeli gaudia magna dabit.
Quod fecisse voles moriens aut ante tribunal
Judicis extremi, nunc age! salvus eris.

Axioma.

Exspectant *durae* nos res, nisi cura *futurae*
Nos pellit *vitae* mores corrigere *rite*.

Dies 7. Octobris.

St. Marcus Papa.

Es bonus aedilis, Christo tuo templa dicasti;
Non melius poteras aedificare tibi.

Templa sacra Deo.

In terris coeli sunt templa domusque sacratae,
In quibus alta sonat laus et hosanna Deo.
Cernis baptismi fontem sacrumque tribunal,
Hic reparatur homo, sed generatur ibi.
Hic altare vides, suggestum vera docentis,
Instruit hic, sed ibi sacra minister agit.
Nonne Dei summi sunt hic habitacula sancta,
Quum Deus hanc praesens incolit Ipse domum?
Magnis arcanis mediisque salutis abundant,
Innumerisque bonis inclyta templa Dei.
Convenit inde Dei templis reverentia summa,
Et velut in coelos ingrediatur homo.

Axioma.

Cor rapiunt hominis duo fures: Vina *Venusque*,
Et miseras reddunt praedas ad tempus *adusque;*
Auri neve sitis cor, neve libidinis *aedes*
Sit, sed amore Dei fervens et fulgida *sedes!*

Dies 8. Octobris.

St. Brigitta Vidua.

Multa revelavit Brigittae mystica Christus,
Quem facie ad faciem nunc sine fine videt.

Meditatio.

Omnibus in rebus memorare novissima vitae,
Jugiter intendat mens animusque tuus.
Tricas discernit, quaerit meditatio verum,
Explorat falsum, nudat operta dolo.
Elevat ad Dominum cor et ejus noscere mentem
Edocet, ut facias, quod jubet ipse, bonum.
Non terrena velis perpendere sola nec illa,
Quae velut unda cito, non reditura, fluunt.
Saepe repende, semel periisse perinde valere,
Ac in perpetuos insiliisse focos.
Saepe repende brevem per delectaminis haustum,
Luctus aeternos conciliare tibi.
Viva fides moritur, nimis ignorantia crescit,
Et scelerum moles, ni mediteris, adest.

Axioma.

Absque Deo *genti* nil prosunt omnia, *quae sunt;*
Absque Deo *menti* bona, quae sunt, omnia *desunt.*

Dies 9. Octobris.

St. Dionisius Areopagita E. M.

(E solis deliquio infert authorem naturae pati.)

Te grave deliquium solis dum perculit, hauris
E tenebris animi lumina prima tui.

(Amputatum sibi caput manibus sustentat.)

Tortor idem Praesulque caput, sed dispare forma
Sustulit; ense prior, sustulit iste manu.

Lumen gratiae.

Emovet ex hominis tenebras lux mente superna,
Ut solet exoriens sol revocare diem.
Sic peccatorem, sceleris caligine pulsa,
Gratia collustrat lumine sancta suo;
Quam si complectens, oculos non claudit ad illam,
Territus incipiet crimina flere sua.
Tunc in eum daemon vehementia bella movebit,
Sed comitante Dei robore victor erit.
Sic homo bella gerens fultusque juvamine coeli,
Virtutis fructus ut bona planta feret.

Axioma.

Luminis en *hora* bona fac, vigilansque *labora;*
Nam venit absque *mora* nox et tibi deficit *hora.*

Dies 10. Octobris.

St. Eulampius Frater et Eulampia Soror MM.

Clara fuit lampas frater, soror altera lampas;
Clarior extincto lumine lampas erat.

Bonum exemplum.

Lampadis effigiem, quisquis virtute coruscat,
Exhibet et recti lustrat ubique vias.
Unde frequens aliis est dux et causa salutis,
Si penetrant animum lux, operumque nitor,
Namque videns sceleris reus exitiale barathrum,
Horret et ex illo salvus abire parat.
Atque venustatem virtutis mente rependens,
Quam videt in justis, arripit absque mora.
Hinc ope lucentis probitatis lampadis hujus,
Protinus a reprobo fit bonus atque probus.
Peccatique statum super omnia corde perhorrens,
Laetus in amplexu jubilat esse Dei.

Axioma.

Sis vigilans, *ora*, canta, lege, disce, *labora;*
Fac sic absque *mora*, non frustra transeat *hora.*
Tempus *transibit*, non hora relapsa *redibit.*

Dies 11. Octobris.

St. Joannes C. Augustini Ordinis.

(Inter sacrum faciendum totus liquescit in lacrymas.)

Rerum mira fides! jam nascitur hostis ab hoste;
Nam sacer has animi parturit ardor aquas.

Devotio ad Missam.

Semper ades Missae reverente modoque modesto,
Et gravibus praesens gestibus esse stude.
Stans ad Evangelium, quod clara voce sacerdos
Perlegit, insigni te cruce mente pia.
Quum corpus Christi sanguisque levantur in altum,
Pectus adorando percute, flecte genu.
Haec eadem facias, cum sumit utrumque sacerdos,
Et quoties plures mandere sacra vides.
Lascivis oculis circumspectare caveto,
Quando Missarum liba sacrata colis.
Quidquid dedecoris, minus aut queat esse modestum,
Risus, garrulitas debet abesse procul.
Ista Beatorum mysteria caetus adorat,
Et clamat: Sanctus! Sanctus! hosanna Deo!

Axioma.

Felix est *fletus*, quo fis super aethera *laetus*.
Qui sunt *ridentes* modo, sunt post funera *flentes*.
Crimina *deflentis* lacrymae sunt lotio *mentis*.

Dies 12. Octobris.

St. Cyprianus Carthag. Episc. M.

(Ortu clarus, sed vita clarior.)

Est virtus pretiosa magis quam pendula bullae;
Scilicet ingenuos haec probat, illa facit.

Monilia virtutis.

Collige virtutis pretiosa monilia multa,
His si dives eris, dives ad astra vehes.
His sine, si mundi fulgent tua pectora gemmis,
Ante thronum stabis pauper inopsque Dei.
Splendidiore proin pauper fulgore nitebit,
Cum tua sub tumulo signa sepulta jacent.
Quae caput aeterno cingent candore, require,
Terrenumque nequit commaculare lutum.
Quae tibi nil prosunt pro vita perpetuali,
Despice nec reputa digna labore tuo.
Sed constante fide, spe firma, cordis amore
Virtutum gemmas quaere paraque tibi.

Axioma.

Prudens solus *erit*, coelestia qui bona *quaerit*,
Qui, quae vana, *terit*, verax prudentia *quae sit*,
Quaerit, ne *desit*, vera et sapientia *quae sit*.

Dies 13. Octobris.

St. Colmannus M.

(Innocens suspenditur ex arenti trunco, qui subito revirescit.)

Furca repentinas extendit in aera frondes;
Testatur juvenem non meruisse mori.

Arbor virtutum colenda.

Infelix animae status est, cui crimen adhaeret,
Ob quod nil vitae spiritualis habet.
Aridus est truncus, stygiumque paratur ad ignem,
Gratia ni recreet vi viridante sua.
Irriget hinc animam luctus lacrymosus et imber,
Ut velut a tetra morte virescat adhuc.
Postea praecaveat, ne carnis torridet ardor
Frondes virtutum depopuletque novas.
Numquam desistat peccator crimina flere,
Ut numquam Christi demoriatur amor.
Assidua pugna satanae tentamina quasset,
Et tunc victor erit subsidiante Deo.

Axioma.

Desit lingua *gerens* fraudem, mendacia *quaerens!*
Verbum *frangentis* desit fallacia *mentis!*
Ex minimo *crescit*, sed non cito fama *quiescit;*
Fama repleta *malis* velocibus evolat *alis.*

Dies 14. Octobris.

St. Dominicus C.

(A lorica, qua corpus domabat, Loricatus dictus.)

Cur solidis lorica tegit te ferrea nodis?
Haec lorica meum munit ab hoste latus.

Lumbi praecincti.

Lumbos praecinctos Christus nos jussit habere,
Ut magis ad coelos expediatur iter.
Lumbos cinge tuos ad fortis militis instar,
Ut celer hostiles aggrediare greges.
Lumbos cinge tuos cruce bajule, pauper, inopsque,
Ut mala corde feras et patiare pio.
Lumbos cinge tuos iterans et ad astra viator,
Ut patriam properes laetus inire tuam.
Lumbos cinge tuos operari cumque lucerna
In manibus videas, quae facienda tibi.
Lumbos cinge tuos petulante cupidine presse,
Ut reprimas carnis putrida sensa tuae.
Miles, inops, iterans, operans, domitorque petulcae
Carnis perpetua sorte beatus eris.

Axioma.

Sensus ecce *forum* valvae et sunt quinque *malorum*,
Janitor *illorum* sunt duo: »*nolo, volo*«.
Non nocet *infensus*, si mortificatio *sensus*
Prudens corda *tegit* pervigilansque *regit*.

Dies 15. Octobris.

St. Theresia V.

(Theresia ad Christum.)

Da veniam si vera loquar, tibi tristia tortor;
Nobiliora mihi vulnera fecit amor.

(Christus ad Theresiam.)

Talia, si nescis, non fecit vulnera tortor,
Tortorum at manibus cautior usus amor.

Liber accessus.

Nocte dieque Deus sinit ad se quemque venire,
Quin prius introitum nunciet atque roget.
Pauperibus pariter sicut regnantibus aurem
Praebet eisque pari praestat amore bonum.
Et quoties pulsat, toties cuicumque patescunt
Ostia, nec frustra quis sua vota refert.
Hoc inter reges mundi regemque supremum
Differt, quod summus rex dare cuncta potest.
Nonne putes, homines omnes ut vulgus egenum
Jugiter ante thronum dona rogare Dei?

Axioma.

Est amor *ingratus*, si non sit amator *amatus*.
Quantus amor *Chrisi!* sed quis se devovet *isti?*
Nos salvans *Jesus* toto olim corpore *laesus*
Et subiit *fortis* pro nobis vincula *mortis*.
Cordis amore *actus* mundi salvatio *factus*
Est via, dux, *esus*, lux, rex ac omnia *Jesus*.

Dies 16. Octobris.

St. Gallus Abbas.

(Ursum famelicum reprimit, quo deinde tamquam famulo est usus.)

Gallus erat quondam trepidi formido leonis;
Galle ursi posthac tu quoque terror eras.

Tormentum animalium.

Condidit omnipotens animalia non numeranda,
Ut prosint homini sintque juvamen ei.
Non licet arbitrio tamen illis nequiter uti,
Sunt tractanda velut plasmata vera Dei.
Hinc torquere gravi cruciamine saeviter illa,
Aut inferre necem lexque Deusque vetat.
Actus hos animus refugit reprobatque ferales,
Et teneri cordis sensus abhorret eos.
Est signum pariter crudelis cordis, ab ipso
Nemo suae vitae nulla pericla timet.
Hos ipsum reprobare Deum bene cernimus actus
Ex asini Baalim voce querente trucis,

Axioma.

Qui servus *Christi*, deservit quodlibet *isti;*
Dum fugit a *mundis*, stygiis qui praesidet *undis.*

Dies 17. Octobris.

St. Hedwigis Ducissa Poloniae.

Saepe genu flectens poplites circum ulcera portat;
Est iter hoc lougum? raptat ad astra genu.

Devotio et hypocrisis.

Auget virtutes alacris *devotio* cordis,
Et fructus uberes gignit eosque fovet.
Imo Deus semper majorem praestat amorem
Cordi devoto, quo magis excolitur.
Hinc via virtutis, sata spinis, suaviter itur,
Et velut a pelago ducit ad astra pium.
Qui tamen externis fulget dumtaxat in actis,
Non re, sed specie dicitur esse pius.
Estque velut truncus ficulnus, inutile lignum,
Nonnisi succensis esca parata focis.
Hic glutire solet pharisaeo more camelos,
Dum colat culices linteoloque capit.
Quisquis virtutis solidae non fruge coruscat,
Ex foliis solum carpit inane decus.

Axioma.

Ut fervens *oret* cor, mens devota *laboret!*
Est potis, ecce, *polum* pia prex conscendere *solum;*
Quod cupit, omne *bonum* Deus et vult spargere *donum.*

Dies 18. Octobris.

St. Lucas Evangelista Pictor.

Famosum longe Lucas superavit Apellem,
Hic Veneris pinxit, Virginis iste decus.
Daedalus artifici Lucas hos major Apelle,
Quo minor est magna Virgine ficta Venus.

Homo imago Dei.

Omnipotens hominem Deus instar imaginis ipsi
Conformem fecit consimilemque sibi.
Quam venerandus homo, quem nobilitatis origo
Unit tanta Deo, magnificatque jubar!
Mens hominis summae Trinitatis imagine fulgens,
Desponsata fide, morte redemta fuit.
Quid cum carne tibi, quis cum terrestribus usus,
Quid cum quisquiliis dulcis imago Dei?
Ad suprema vola, tua sunt habitacula coeli,
Haec ornare decet Regis imago tui.

Axioma.

Verax et *sacrum* cor Christi sit *simulacrum!*
Non speculum *tabes* turbet, non foetida *labes;*
Et mentis *limen* nullo intret tempore *crimen;*
Cor niteatque *bonis*, quae sunt de Numine *donis!*

Dies 19. Octobris.

I.

St. Aquilinus M.

Miles es, arma geris tres heros strenuus annos,
Tunc bonus hostis ubi factus es ipse tuus.

II.

St. Petrus de Alcantera C.

Es Petrus, esque petra tibimet, Petre, durior ipsa;
Christus dat duris, mollibus astra negat.

Applicationes morales.

I.

Militiam gerimus, multi nos artis iniquae
Hostes alliciunt, vertere terga Deo.
Hostes sunt animae: satanas mundusque caroque,
Qui nostras animas illaqueare student.
Sed vincemus eos, si convenientibus armis
Aggrediamur eos, robora dante Deo.
Mens vigil et solers, caro mortificata, precesque
Incursus hostis vimque dolosque terent.

II.

Tu ne cede malis, sed contra fortior ito,
  Crescat in adversis vis animusque tuus.
Cum virtute tamen sapientia juncta coito,
  Tunc animus constans non timet ulla mala.
Aufugit injustus, quamvis quoque nemo sequatur,
  Sed pius intrepidus nescit habere metum.

Axioma.

Sis animo *fortis*, fugies tunc spicula *mortis;*
Si fueris *mollis*, vix ulla pericula *tollis*.

Dies 20. Octobris.

St. Vitalis Episcopus.

Lilia virgineo defuncti in pectore crescunt,
In vita talis scilicet ille fuit.

Spinae nuptiarum.

Quaesitus sapiens, (sed non est omnibus aequum)
Cur non uxorem ducere vellet, ait:
Duco rixosam, vitam mihi reddit amaram;
Si fuerit dives, servulus ejus ero;
Pauper si fuerit, penuria vexat utrumque;
Debeo tutari, si speciosa foret;
Si deformis erit, non delectabor in illa;
Si mala, me miserum! sum cane pejor ego;
Si pia, tunc moriens mea torquet viscera luctu;
Quaeque premit tandem garrulitate sua.
Mercem sic vilem pro libertate relicta,
Et pro thesauro virginitatis emo.
Hanc sponsabo mihi, nuptamque tenebo columbam,
Praevolat haec et ego tutus ad astra sequar.
Virginitas carmen me psallere dulce docebit,
Carmen, quod tantum virgo columba canet.

Axioma.

Sit facies *testis*, quales intrinsecus *estis;*
Qualia quisque *geret*, talia quisque *feret.*

Dies 21. Octobris.

St. Ursula V. M. cum sociabus.

Ursula cum sociis pro virginitate fideque
Densa telorum grandine tecta cadit.
Nulla fuit quondam venatio gratior astris,
Ursaque nobilior nulla recepta fuit.
Quam male saepe suis aptantur nomina rebus,
Ursula cur dicta est, quae magis agna fuit?

Virginitas.

Virginitatis honor, candor, decus atque venustas,
Ni lateat, sensim degenerare solet.
Hinc bene sunt hominum consortia cuncta cavenda,
Ne damnum capiat tam speciosa rosa.
Hujus virtutis, vestes habitusque protervi,
Lugubre sunt signum, jam periisse decus.
Otia, mollities, inhonestas auris et oris,
Mox condent florem virginitatis humo.
Hanc tutare rosam, ne defraudetur odore,
Et pariter pietas sancta venustet eam.

Axioma.

Indignus, *dignus* laudis, bonus atque *benignus*,
Sunt hic *viventes* aequali luce *fruentes;*
Dispar *defunctis* sors est, nec prospera *cunctis*,
His poenae *dantur*, coeli illi luce *beantur*.

Dies 22. Octobris.

St. Joannes Bonus C.

(Morbo afflictus resipiscit.)

Languiit utiliter, morbum tulit ipse medelam;
Nunquam adeo sanus, si valuisset, erat.

Aegritudo.

Divitias superat valetudo corporis omnes,
Faustior est aegro divite sanus egens.
Sed luit atque piat morbus delicta patrata,
Et patrare simul praepedit ille nova.
Hac ratione Dei simul est optabile donum
Morbus, et innocuus, quin cupiendus, erit.
Non raro nequam scelerumque putredine mersi
Plangere coeperunt crimina facta prius.
Et nisi fecisset Deus hos languescere, numquam
Ad lacrimas esset mens revocata pias.
Languidus est stultus, qui morbum corporis aegre
Fert, lugetque suam conqueriturque vicem.
Sic etenim morbus, quem percupit esse remotum,
Crescit, fitque magis, quam fuit ante ferox.
Hunc mulcere queunt solum patientia firma
Atque voluntatis vota dicata Deo.

Axioma.

Daemon *languebat*, melior tunc esse *volebat;*
Postquam *convaluit*, mansit ut ante *fuit.*

Dies 23. Octobris.

Ss. Chrysanthus et Daria, Sponsi et MM.

Ista dies mihi par sponsarum nobile praebet;
Virgo fuere ambo, Martyr uterque fuit.
Una rubro vitis cum botro germinat album,
Aethereis mensis dignus uterque cibus.

Perseverantia.

Ut nos in coelis victorum palma coronet,
Hostibus est noster bella parare labor.
Horret saepe tamen mens nostra volubilis illum,
Et vigor elanguet, si calet ille diu.
Unde voluntatis renovetur robore votum,
Nos praeferre mori, quam dare terga Deo.
Non dignantur enim diademate tempora cingi,
Tempore pugnandi sueta quiete frui.
Nos igitur vigiles, fortes et Numine fisi,
Hostibus instemus praelia ferre Dei.

Axioma.

Insta, ne *cesses*, aderunt post semina *messes*,
Fert anni *cursus* segetes ex semine *rursus*,
Messis — *finita* — manet attamen unica — *vita;*
Praemia multa *metunt*, queis fructus horrea *reddunt.*

Dies 24. Octobris.

St. Joannes Angelus C.

Angelus e coelo veniens te viserat olim;
Non mirum, similis gaudet ubique pari.

Innocentia.

Nitere spiritibus similis coelestibus esse,
Ut simul ipsorum consociere choris.
Moribus angelicis tua semper vita nitescat,
Imo cor a quavis detrahe labe tuum.
Innocuis manibus Domini conscendere montem,
Et mundis coelos scandere corde licet.
Inque domo cincti fulgebunt virginitatis
Laureola tamquam sidera clara Dei.
Jesus est speculum sine ruga luce coruscans,
Cui nisi cum mundo corde placere nequis.
Hoc specimen puri meditare, recollige cordis,
Hujus candoris dilige luce frui.
Hujus in amplexu tunc delectaberis Agni,
Agnus erit coeli clara lucerna Dei.

Axioma.

Fili, cede *malis*, si vis pius esse *sodalis*!
Non prope *serpentem* procumbas virus *habentem*!

Dies 25. Octobris.

Ss. Crispinus et Crispinianus, Fratres MM.

Pro soleis factis pretium non sumitis ullum.
Haec fuit ars, fuit haec forma docere fidem.
Sic Crispinus erat, sic frater in arte magister,
Proque fide corium quisque dedere suum.

Amor Dei et proximi.

Quisquis es, ire nequis tantum pede praeditus uno,
Omnis homo binos debet habere pedes.
Sic pedibus binis animae gradieris ad astra,
Suntque pedes animae: Fratris amorque Dei.
Mendax est, quisquis dicit, se Numen amare,
Si pariter fratrem nolit amare suum.
Claudus inopsque jaces, horum si deficit unus,
Atque viae finem non potiere tuae.
Ergo Dei pes primus amor, fratrisque secundus,
Hisque sit a solo rectus amore Dei.
Tunc iter ad coelum securo calle meabis,
Inque Dei felix ingrediere sinum.

Axioma.

Quisque manus, *oris* consumit lucra *laboris*
Nunquam *lassatus* torpore, est terque *beatus;*
Si manibus *largis* et egenti munera *spargis*,
Ter benedictus *eris*, cum vanis coela *lucreris.*

Dies 26. Octobris.

St. Demetrius M.

(Annulus ejus sanguine intinctus morbos fugat.)

Tingere purpureo, sacer annule, tingere succo:
Ornari gemma nobiliore nequis.

Morborum sanatio.

Est domus aegrorum mundus scelerumque vorago
Mortis et interitus horrida facta malis.
Corporis hos morbos animaeque reliquit Adamus.
Hancque putrem toto sevit in orbe luem.
Haec quis sanabit mala, quisque medebitur illis?
Quis genus humanum solvet ab exitio?
Jesus est medicus, sua Sacramenta medela,
Queis animae morbos curat eosque levat.
Sanguinis ipse sui pretio meritoque resanat,
Qui capiunt animo pignora sacra pio.
Corpore languentes jubet acta piare nefanda,
Et patiente suam ferre dolore crucem,
Ut simul a poenis, quas contraxere, laventur,
Cum mala sincero facta dolore fleant.

Axioma.

Est amor *insanus*, qui quaerit inania *vanus;*
Non amor est et *erit*, qui solum, quae sua, *quaerit.*

Dies 27. Octobris.

St. Martyrius M.

Martyrium Christi pro nomine scimus obisse;
Egit personam nominis ergo sui.

Nomen Baptismi.

Cujus nomen habes, ejus virtute nitescas,
Deturpat nomen dissona vita bonum.
Sancti nomen habes, imitare, prehende, teneque,
Quidquid in ipsius moribus esse vides.
Nomina Sanctorum te sancte vivere suadent;
Nam secus absurdum nomen et omen habes.
Cujus es ornatus Sancti cognomine, vitam
Consimilem facias esse paremque tuam.
Facta quibus meruit sublimia scandere coeli,
Tu pariter studio fac imitere pio.
Et quibus est usus mediis ad bella gerenda,
Arripe nec metuas agmina nigra stygis.
Numquam deflectas oculos ab imagine Sancti,
Donec erit vitae forma decusque tuae.
Sicque tuum nomen stimulus virtutis honorque
Fiet, et aeternae causa salutis erit.

Axioma.

Si pretii *spes est*, et felix faustaque *res est*,
Ultima res *gentis* spes est, haec ancora *mentis*.

Dies 28. Octobris.

Ss. Simon et Judas Apostoli.

Heroes gemini vitiorum monstra fugastis
Atque execrandos, numina ficta Deos.
Vosque novae Romae Persas domuistis inermes,
Quos sibi non potuit Roma domare vetus.

Idola.

Non idola tuo teneas in corde colasque,
Esse Dagon socium nec patiare Dei.
Non natus Veneris cum nato Virginis adsit.
Non sit cum Christo Belzebub ipse comes.
Sed desideriis mentis carnisque salacis
Ostia cor claudas, nec residere sinas.
Unica praecelsi te Numinis alta voluntas
Dirigat et justas disce meare vias.
Dilige justitiam, cor mundum, comprime sensus,
Idolumque nefas omne repelle foras.
Insere virtutes, cole summum Numen et unum,
Tunc salies recta tutus ad astra via.

Axioma.

Errat homo *vere*, qui, cum bona possit *habere*
Non magna *cura* post mortem non *peritura*,
Despectans *Summum*, quaerit pro Numine *nummum*.

Dies 29. Octobris.

St. Anastasia V. M.

Ut rediviva suo cum Sponso laeta resurgat,
Sponte fidem servans victima caesa cadet.

Resurrectio mortuorum.

E nihil Omnipotens produxit corpora nostra,
Reddere sic etiam mortua viva potest.
Et Deus omnipotens vere defuncta ciebit
Ad vitam rursus corpora cuncta novam.
Hocque suae surgent homines cum tegmine carnis,
Nempe corporibus, quae putruere suis.
Corpora defunctis animabus juncta resurgent,
Ut damnata simul sive beata forent.
Corpora justorum coeli velut astra nitebunt,
Dum reprobi referent horrida monstra stygis.

Axioma.

Cor nec amor *fundi*, nec honor, nec gloria *mundi*,
Nec vitiet *fastus*, nec captet daemonis *astus;*
Flammis *indignis* nunquam mens ardeat *ignis;*
Nec teneat *mentem*, solum peccata *paventem*,
Det Deus et *clemens*, mundi prudentia *demens;*
Servet et *illaesum* devotus pectore *Jesum:*
Victor sic *factus*, superis celebrabitur *actus*.

Dies 30. Octobris.

St. Narcissus Ep.

Praecipuum cunctis dat floribus ortus honorem;
Hic decus occasus floribus ecce dedit.

Flores virtutum.

Floribus arva nitent, quos plantat Conditor ipse,
Quorum conspectu deliciatur homo.
Sic Deus ablutis serit in baptismate semen
Florum virtutum, quos amat ipse nimis.
Irrigat hos coeli benedictio, quando laboris
Sudor eos curat, sedulitasque colit.
Non vegetat virtus in commoditate supina,
In putridis pereunt germina floris aquis.
Fertilis est tellus crebris agitata batillis,
Virtutesque parit vita probata malis.
Cum virtute fides est clavis ad atria coeli,
Qua sine coelorum janua clausa manet.

Axioma.

Gratia det *clemens*, ne cor querimonia *demens*
Unquam flens *icat*, non et contritio *dicat:*
»Flos fueram factus, florem fortuna fefellit,
Florentem florem florida flore fleat.«

Dies 31. Octobris.

St. Ermelindis V.

Tonsile dum resecas rutilantis verticis aurum,
Provida ne capias, vel capiare times,
Nam tum multifidos comit, sua retia, crines,
His capit, his capitur saepe puella plagis.

Luxus vestiarius.

Corporis ornatus quibus est nimis anxia cura,
Virtutis pretium nil reputare solent.
Quo magis exterius colit et se vestibus ornat,
Hoc minus ipse sibi providet intus homo.
Comta puella nimis, tinctis concinna capillis,
Saepe parat juvenum moribus interitum.
Faemina talis erit venalis priva pudore,
Est aliis laqueus, certa ruina sibi.
Hoc muliebre genus morum necat integritatem,
Est animae virus pestilitasque piae.
Care cave juvenis! laqueari retibus istis,
Ne tibi contingat grandia flere mala.

Axioma.

Quae sunt *tendentes* aliis, in retia *mentes*
Haec sua, *fallentes* se, sunt plerumque *cadentes*.

Mensis November.

Terra perusta gelu riget hujus tempore mensis;
Vaeh! si canities friget amore Dei.



Nexa pari vinclo triplex Ecclesia vivit,

Nempe pians, pugnans, jamque salute fruens.

Dies 1. Novembris.

I.

In Festo omnium Sanctorum.

Divi caelicolae, quos sustinet aula Tonantis,
Lucida stelliferi sidera fixa poli.
Nec mare tot guttas, nec habet tot littus arenas,
Quot donis vestris sunt meritisque gradus.
Ergo silere decet; vos cantus pangite, quales
Auris nulla audit, nullaque lingua canit.

II.

St. Benignus Sacerdos, mire beneficus, M.

Non ego te miror, miseris si civibus olim
Visus es auxilium ferre, benignus eras.

Regulae vitae.

I.

Mira patrant animae, nil, quam violare timentes
Legem, quam Christus Rex Dominusque tulit.
Regis in aeterni non intrant quilibet aulam,
Sed quibus est legis sarcina cara Dei.
Est levis et dulcis, meritorum praestat abundans
Pondus et in coelis proemia magna nimis.

II.

Luna sequens solem recipit quoque lumen ab ipso,
  Sic ab amore Dei fratris habetur amor.
Lumine luna carens notat, hoc a sole negatum,
  Non calet absque Dei lumine fratris amor.
Fratris amorque Dei sunt fratres ambo gemelli,
  Unus si moritur, protinus alter obit.

Axioma.

Sunt fontes *vivi* cuncti intercessio *Divi*,
Rore rigant *flores*, qui flant virtutis *odores*,
E valle ut *mortis* coeli plantentur in *hortis*.

Dies 2. Novembris.

Commemoratio Fidelium Defunctorum.

Expurgans ignis locus est horrore repletus,
In quo sunt animae, quae sua menda luunt.
Purgantur justae, in terris quia tempore vitae
Ob culpas nondum poenituere satis.
Ima penetratis furit ignis in ossa medullis,
Ignis ubique vorax, ignis ubique furit.
Non ita sed miseras cruciat penetrabilis ignis,
Quam non immensum cernere posse Deum.

Doctrina moralis.

Clamor ab horrificis reboans ardoribus exit,
Expansasque levat tortus in alta manus:
»O miserere mei saltem dilecte sodalis,
Me Domini tetigit justa gravisque manus!«
Hic ego qui jaceo tetra caligine pressus,
Suffocor et flammis nocte dieque voror.
Sentio cuncta meo dorso tormenta cubare,
Suntque mei gemitus: »O miserere mei!«
Non est ulla quies, poenas tormenta sequuntur,
Vociferorque gemens: »O miserere mei!«

Axioma.

Verba duo *cor pus corpus* complectitur haec vox.
Tempore quando *brevi* miseri lux occidit *aevi*,
Fit pus, vas *plenum* sanie, putredo, *venenum*
Illico, pure *satur*, putrensque cadaver *humatur*;
Coeli luce *satur*, quod non mortale, *beatur*,
Si moritur *justus;* flammis luit ignis *adustus*,
Qui vivens *vere* neglexit crimina *flere*.

Dies 3. Novembris.

St. Idda Vidua.

In tetrica silva vitam ducebat amaram,
Ast nunc in coelis haec Comitissa canit.

Pudicitia.

Gemma sub occulta theca pretiosa tenetur,
Dum res nullius ponderis abjicitur.
Gemma pudicitiae debet secreta latere,
Haec pallescit enim tacta frequente manu.
Floribus exsugit sua mella statimque regressa
In cellam, fructum sedula condit apis.
Sicque pudicitiae cultor minitante periclo,
Illico recedit, ne capiatur eo.
Quem pudor a scelerum non amplius abstrahit umbra,
Interitum timeat non procul esse sibi.
Absque pudore nequit quis in integritate manere,
Cumque cadit, lapsus prava dolere nequit.
Unde pudicitiae sit custos quisque fidelis,
Qui cupit a magnis longius esse malis.

Axioma.

Sensus *prudentis* malesana calumnia *laedit*,
Livens dens *gentis* cor sapientis *edit*.

Dies 4. Novembris.

St. Carolus Borromaeus E. C.

Exemplar vitae Carolus superumque synopsis,
Sanctorum numero ceu diadema nitet.
Candida lux Mediolani, sidusque reformans
Helvetiam, cardo quo bene pendet amor.

Zelus animarum.

Immodicus zelus non ardet ad aedificandum,
Destruit hic potius, dum reparare putat.
Est medico similis, qui pharmaca porrigit aegro,
Dum potius studeat se medicare prius.
Hinc intende tuam recte componere vitam,
Tunc simul accipient robora verba tua.
Sis aliis specimen virtutis, eosque pericla
Naviter et forti mente cavere doce.
Verba movent exempla trahunt, haec juncta beabunt,
Si judex, alios quod monet, ipse facit.

Axioma.

Pastor qui *zelat*, Domini mandata *revelat*,
Sanctificat *mentes*, quaeritque levatque *cadentes*,
Qui purgat *sontes*, reserans ad munera *fontes*,
Exemplo *lucens*, animas ad sidera *ducens*:
Servus hic in *coelis* capiet diadema *fidelis*.

Dies 5. Novembris.

St. Elisabetha, mater Joannis B.

Elisabetha parit sic coelo operante Joannem,
Clauso utero sterilis cum prius illa foret.
Obstetrix regina fuit, Deus ipse patrinus,
Ergo quanta parens Elisabetha fuit!

Patrini.

Patrini spondent infantum nomine cuncta,
Quae beptismus uti munia mandat eis.
Si vel defunctus fuerit, vel prorsus ineptus,
Officiove suo desit uterque parens,
Patrini debent bene gnaros religionis
Reddere susceptos, atque docere rudes.
Patrini numquam susceptis nubere possunt,
Susceptique parens nubere neuter eis.
Scilicet exoritur cognatio spiritualis
Inter eos, ideo nubere jussa vetant.
Firmandis etiam patrini chrismate dantur,
Ut sint in pugna militiaque duces.
Exoritur pariter cognatio spiritualis
Inter eos, ideo nubere jussa vetant.

Axioma.

Tritica qui *sevit*, fructus hic carpere *suevit;*
Si transire *sinas* ver, arvum fert tibi *spinas*.

Dies 6. Novembris.

St. Leonardus C.

Sanat, quam potuit Reginam nemo juvare;
Tu Leo Gallorum, coelica Narde sapis.

Sit robusta fides, placeas virtutis odore;
Sic Leo, sic Nardus, sic Leonardus eris.

Opera bona.

Quae facimus, pura faciamus mente piaque,
Mentis enim pietas sanctificabit opus.
Permultos operum decorat satis ampla bonorum
Copia, quin pietas crescat amorque Dei.
Haec operantur enim naturae pulsibus acti,
Quin simul intendant his adamare Deum.
Non bona sunt tantum facienda sed ultra,
Ut Christus docuit, sunt facienda bene.
Absque fide bona facta magis sunt aequiparanda,
Qui foris a stadio currit, at absque lucro.
Non hominum causa, non ut lauderis ab ipsis,
Fac bona, sed solo semper amore Dei.
Tunc operum referet fructum cultura bonorum
In coelis uberem perpetuumque tibi.

Axioma.

Illico *mundanum*, sic diffugit omneque *vanum;*
Virtus sola *Dei* dono est sine fine *diei.*

Dies 7. Novembris.

St. Engelbertus E. M.

(Ipso nefarie occiso gemina luna in coelo conspicitur.)

Sidus erat, nec id extinctum reputabitis, orta,
Cum cecidit moriens, tunc nova luna fuit.

Cultus Sanctorum.

Vita Beatorum nobis sit regula morum,
Mollit, eosque polit, nec sinit esse rudes.
Cernimus armatos Sanctos, armemur et ipsi
Contra nequitiam saevitiemque stygis.
Nam secus ad metam non perveniemus, ut illi,
Qui velut invicti dimicuere viri.
Si colimus Sanctos, ideo non laetificantur,
Sed gaudent, quando nos imitamur eos.
Cultus eis et honor latus non proficit ipsis,
Sed nobis prodest, si simulamur eis.
Qui veneratur eos, quin illos mente sequatur,
Est veluti mendax blandiloquusque miser.
Si cupis illorum tibi conciliare favorem,
Ipsorum vitae ducere quaere parem.

Axioma.

Praemia *victorum* pendent a fine *laborum;*
Laus in fine *sonat*, virtus in fine *coronat.*

Dies 8. Novembris.

Quatuor Coronati Fratres MM.

Parcentes escis venerabile funus adorant,
Quae posuit Diocles corpora caesa feris,
Cum procul humanis pietas a sensibus absit,
Fallor, an in rabidas transiit illa feras.

Certamen spirituale.

Jure coronatur, qui justis dimicat armis,
Nec nisi prostrato victor ab hoste redit.
Collustrat mentem *prudentia*, *justitiaeque*
Libra voluntatem dirigit atque movet,
Usum definit *moderantia*, *strenua virtus*
Complet et ad finem ducit et urget opus.
His ita munitus sociabus fortibus hostes
Belliger invictus vincet ubique suos.
Nam via tuta patet, temeram *prudentia* vitat,
Sensus justitiae quaerere justa jubet,
Temperat excessus *moderantia*, *strenuitasque*
Ardua non metuens denique vincet opus.
Sic certamen erit justum, victoria justa,
Postremo decorat justa corona caput.

Axioma.

Insta, ne *cesses*, aderunt post semina *messes*;
Totus *laudatur*, si finis laude *beatur*.

Dies 9. Novembris.

St. Theodorus M.

(Delubrum Cybeles incendit.)

Fanum ussit Triviae Balatro, dum nominis optat
Immortale sibi conciliare decus.
Incendis Cybeles templum, Theodore, decusque
Nominis aeternum, quod petit alter, habes.

Templum cordis nostri.

Cor nostrum templum Deitatis jure vocatur,
Si tamen id decorat gratia sancta Dei.
Conveniunt in eo sensus tam corporis omnes,
Quam mentis solvere vota Deo.
Thura dicare precum, laudes laetatur et hymnos
Ferre Creatori cum pietate suo
Plausibus in coeli tandem resonabit in aula,
Aeterno Regi cantica laeta canens.
Non ita cor carnis, quod foeda cupido gubernat,
Et desideriis turpibus horret, agit.
Hoc maledicit ei, qui pro se condidit illud,
Estque velut stygio murmure plena domus.
Ignibus aeternis hoc exardescet idemque
Vermis non moriens rodet iniquus ibi.

Axioma.

Fac bene, dum *vivis*, post mortem vivere *si vis*.
Tempora *transibunt*, sed non benefacta *peribunt*.

Dies 10. Novembris.

St. Tiberius M.

(Tortor ipsum feris objicit, pater lupanari includit.)

Lenoni te, Dive, parens tortorque leoni
Objicit, e bello dispare victor abis.
Sedque tibi minor est Libicos superare leones
Gloria, lascivas quam superare lupas.

Crimen corruptionis.

Incumbit cuivis aliorum prava vetare,
Si fieri fas est, et cohibere mala.
Exigit hoc Domino dilectio debita summo,
Quaelibet est etenim laesio noxa Dei.
Exigit hoc etiam dilectio debita fratri,
Qui sibi peccando maxima damna parit.
Istud ad officium multi persaepe tenentur,
Ob sibi mandatum munus onusque status.
Ad mala, qui stimulat, communicat illa patranti,
Hic noxas hominis daemonis ille facit,
Funditus hic Domini templum devastat, ibique
Pro Satanae cultu turpia fana struit.
Hinc, quam grande nefas, ingens quam culpa parentum
Qui natis fiunt criminis ansa suis!

Axioma.

Insidias *fures*, meretrix sic retia *tendit;*
Ut fugias, *cures*, stygiis te tetrica *vendit.*

Dies 11. Novembris.

St. Martinus E. Turonensis.

Cur Martine tuo lateri comes additur anser?
Laudibus ut semper sit nova penna tuis.

Vera devotio,

Illa tuo cordi bene sit devotio fixa,
Qua, quaecumque Deo scis placitura, facis.
Ut tua coepta bono successu perficiantur,
Ad Dominum fido dirige corde preces.
Hic operum jungas actus usumque bonorum,
Quo tibi lucrari cor mereare Dei.
Summa tui penetret reverentia viscera cordis,
Cum tibi praesentem credis ubique Deum.
Quidquid agis, sit juge Dei sanctumque litamen,
Imo te gaude sacrificare Deo.
Haec est ecce! tui cordis devotio vera,
Ardeat hac semper mens animusque tuus.

Axioma.

Propria laus *sordet*, scelerum mens conscia *mordet;*
Mundi honor est *coenum*, sunt gaudia vana *venenum.*
Candida laus, *actis* quae manat perbene *factis*,
Post mortem *restat*, nobis et praemia *praestat.*

Dies 12. Novembris.

St. Martinus Papa Martyr.

Dum vult errantes in ovile reducere Christi,
Factus praeda lupis, Martyr ad astra volat.

Martyrium spirituale.

Martyrii pugnas hodieque probantur adesse,
Dulcis enim pugnas pax habet ipsa suas.
Non etenim primis prout est Ecclesia saeclis
Sub diris dominis torta, cruore rubet.
Attamen est satanas, qui justos vexat et angit,
Atque magis Christi torquet et urget oves.
Non te verberibus caedunt lorisque tyranni,
Caederis a satana, deteriore fera.
Magnum martyrium furor, ira caroque domanda,
Fastus, avaritiae vis reprimenda parant.
Non rogus accensus non ignis inhorret et urit,
Sed focus et carnis prava libido vorat.
Constanter pravos affectus excute cordis,
Tunc cum martyribus sorte fruere pari.

Axioma.

Est res *electi* dulcis mens conscia *recti;*
Conscia quem *tangit* mens culpae pungit et *angit,*
Illinc pax *fructus*, lis hinc, discordia, *luctus.*

Dies 13. Novembris.

St. Homobonus C.

Multi multa ferunt cognomina: Homo bone, nomen
Te vehit ad superos certa quadriga tuum.

Homo bonus.

Est bonus omnis homo, cui naevus nullus inhaeret,
Unus solus eum non sinit esse bonum.
Diligit ipse Deum super omnia, diligit aeque
Fratrem propter eum, sicque probatur amor.
Hinc bonus omnis homo pariter solet esse benignus,
Pauperibusque simul ferre libenter opem.
Sicut ros flores flaccasque refrigerat herbas,
Sic bonus afflicti cor recreare studet.
In nullis reprobus, sed in omnibus aequus et insons,
A recta numquam deviat ire via.
Quando malis premitur, velut heros figit in alta
Obtutum, dicens: His ego victor ero.
Credere lumen ei, sperare meatus ad astra,
Hic et ibi tandem, salvus amare Deum.

Axioma.

Est vanum *vere* justi cognomen *habere*,
Cum perversa *reo* vita sit absque *Deo*.

Dies 14. Novembris.

Ss. Venerandus et Veneranda MM.

Hac Veneranda die martyr, Venerandus et idem,
Martyr honoratur, — quae veneranda dies.

Gaudium et tristitia.

In mundo persaepe bonis cumulantur iniqui,
Nam bona, quae faciunt, munerat hisce Deus.
Admonet his illos, ut provida sensa capessant,
Et sibi conquirant non peritura bona.
Hi miseri veluti sunt ethnica victima cincta
Floribus in templo mox jugulanda diis.
Econtra justi mundi patiuntur amara,
Ut male facta pient, nec bona falsa petant.
Tempora mutantur pro justis sicut iniquis,
Qualiter in scenis res variare solent.
Nunc luget justus, sed gaudet iniquus — et inde? —
Planget in igne malus, — scandet ad astra bonus.

Axioma.

Tempus ut omne *bonum* manat de Numine *donum;*
Dum tempus *rite* sine fine est arrhabo *vitae,*
Dic cur absque *mora:* non res pretiosior *hora.*

Dies 15. Novembris.

St. Maxellendis V. M.

(A furioso amatore occiditur et ille excaecatur.)

Orbus luce videt, quod nunquam viderat ante,
Scilicet errorem nunc videt ipse suum.

Amor lascivus.

Est lascivus amor morientis lucta pudoris,
Morsus serpentis, criminis atra frutex.
Est hic fictus amor, satiatur sola voluptas,
Quae si deficiat, desinit omnis amor.
Inserit incautis hunc falsum daemon amorem,
Et solita miseros decipit arte sua.
Non sine fraude cavet, ne mentem turpia sensa
Perturbent, donec corda parata videt.
Imbuit inde leves animos affectibus illis,
Per quos accendi prava libido solet.
Haec nutrita dein per verba, pudore represso,
Absque gravi scrupulo transit ad acta mala.
Sicque pudicitiae, sic gemmula virginitatis,
Sic cor tranquillum paxque salusque perit.

Axioma.

Qui quaerit *coenum*, lasciva mente *venenum*,
Ardens *indignis* flammisque libidinis *ignis*,
Hic subit *obscoenas* orci post funera *poenas*.

Dies 16. Novembris.

St. Othmarus Abbas.

Post mortem denos manet incorruptus ad annos;
Othmarus vitae tempore talis erat.

Integritas.

Flos est integritas foliis sex condecoratus,
In medio fulgent aurea grana suo.
Aurum quippe Dei rutılum declarat amorem,
Virtuti pretium cuique dat almus amor.
Sex foliis ut imaginibus signisque docemur,
Quomodo servari debeat integritas.
Primo signatur potus moderamen et esus,
Vestirique *sequens* simplice veste docet.
Post hoc mandatur labor indefessus et ardens,
Sensibus *inde* suis invigilare monet.
Quintum verba jubet semper proferre modesta,
Et *sextum* vitat cuucta pericla mali.
Integritas ideo flos est ardenter amandus,
Qui tam pulchra docet, quaeque cavenda monet.

Axioma.

Corpus *defuncti* fit pus mox tempore *cuncti;*
Cum vas puris *eris*, cur carnis mollia *quaeris*.

Dies 17. Novembris.

I.

St. Hugo E.

Esurit ac vigilat, se caedit, crinibus armat
Artus, se fortem debilitando facit.

Mortificatio.

Ut nobis liceat felices vivere quondam,
Hic opus est mundo deliciisque mori.
Sensus carnalis legem Deitatis abhorrens
Extingui debet funditus atque lui.
Tunc firmatus erit sensus sat spiritualis,
Per quem vita pari paxque serena solet.
Cum Christo nostra pro vita morte peremto
Nos tumulo prompti consepelire sumus.

II.

St. Gregorius Thaumaturgus C. E.

Mirum mira tibi peperere frequentia nomen,
Nam tibi nil miri mira patrare fuit.

Miracula.

Mira patrat, quisquis deludit daemonis artes,
  Naturaeque proin vim domat angelicae,
Hanc satanas tenuit, cum desiit esse beatus,
  Hinc homini multo viribus ille praeit.
Si foret a Domino satanae data plena potestas,
  Tunc fieri salvus nec valet unus homo.
Est igitur contra satanam victoria parta
  Vere mirificum grandeque semper opus.

Axioma.

Per raros *pastus* carnales deprime *fastus*,
Incrassata *caro* gustat coelestia *raro*.

Dies 18. Novembris.

St. Barula puer M.

Barula poscit aquam puer inter flagra tyranni;
Nectar et Ambrosiam mors celerata dedit.

Sitis Justitiae.

Numquam justus habet satis, esurit ipse sititque
Justitiam, semper justior esse volens.
Si sibi concessum foret, hic quoque vivere semper,
In melius gressum tenderet usque suum.
Crescere conatur claris virtutibus, unde
Servitio semet mancipat ipse Dei.
Despiciens mundum, vitae coelestis anhelat
Praemia, quae tandem cor satiare queunt.
Et si non proficit, se retrocedere sentit,
Hinc sitis, hincque fames, continuusque labor.
Indefessus agit fructus velut arbor opima,
Cui rigidi saecli nulla pruina nocet.
Pervenit ad vitae coelestis denique littus,
Aeternaeque domus gaudet inire fores.
Ipsa sibi virtus est tunc pulcherrima merces,
Quam sitibunda bibet mens saturata nimis.

Axioma.

Panis ut omne *bonum* manat de Numine *donum.*
Frugalis *pastus* depellat daemonis *astus.*
Escam *sumentis* pia mens miserescat *egentis.*

Dies 19. Novembris.

St. Elisabetha Vidua.

Odit Elisa choros virguncula, templa libenter
Et cupide visit, diligit ergo chorum.

Choreae.

Sicubi sunt choreae, celebrantur festa gehennae,
In quibus est satanas ipse chorago furens.
Plenae sunt choreae magnis plerumque pariclis,
In quibus integritas mensque pudica perit.
Templum sunt veneris sunt tintinnabula sordis,
Munditiae tumulus tumba pudicitiae.
Candida virginitas misere flaccescit in illis,
In foveamque cadit denique, ducta domum.
Circus sunt choreae, centrum satan occupat ipsum,
Mancipiisque suis turpibus ambit eum.
Hinc sine peccato nullatenus esse choreas,
Et per eas multos jam periisse liquet.
Unde chorea tibi nimis est lasciva timenda,
Et standum magna sedulitate procul.

Axioma.

Ludens cum *bellis* juvenis persaepe *puellis*,
Virgineum *florem* perdit, perditque *pudorem;*
Et non est *faustus*, quem perdit coeca *libido;*
Virus edax *haustus*, sunt et tot in hoc mala *nido.*

Dies 20. Novembris.

St. Adventor M.

Sanctus ut Adventor venit super aethera Martyr,
»Felix adventus!« coelica turba canit.

Via paradisi.

Quilibet in coelos adventor percupit esse,
Nec tamen ad coelos esse viator amat.
Tunc adventor eris felix ad regna beata,
Si sunt ad coelos vota levata tua.
Cum merces coeli requies aeterna sit olim,
Deberet pretium perpes et esse labor.
Pro tanta Dominus tamen hac mercede laborem
In terris parvum postulat atque brevem.
Ut sis adventor securus, ibique receptus,
A recta numquam digrediare via.
Nosceris ex alis, quibus ibis ad astra volando,
Quae sunt viva fides, spes pia, purus amor.

Axioma.

Quae *deliquisti*, si tergis sanguine *Christi*,
Mentis *contritae* confessus crimina *rite;*
Si prudens *spernis*, quod tu mutabile *cernis;*
Si tibi vita *levis* deest et inertia *quaevis*,
Quae vires *tollit*, quae torpens pectora *mollit;*
Si curas *vere* semper malefacta *cavere;*
Si Divis *psallis*, vitam certamine *fallis*,
Cor Christo *pandis:* certo super aethera *scandis.*

Dies 21. Novembris.

Praesentatio B. Mariae V.

Proh Superi! quantum tam parva in Virgine donum,
Dum datur illa Deo, reddidit illa Deum.

Oblatio.

Redde Deo totum teipsum juge litamen,
Quidquid enim dederis, largiter accipies.
Imo tibi reddet seipsum teque beabit
Pro fluidis, veris perpetuisque bonis.
Nil tibi nec mundo, desideriisque reserva,
Ut penitus fias victima grata Deo.
Dimidium Dominus cor divisumque refutat,
Esset id indignum, resque probrosa Deo.
Sed non ad tempus satis est, te sacrificare,
Finis enim felix omne coronat opus.
Actus ergo tuos, animam corpusque litabis,
Ut sit in aeternum pax requiesque tibi.

Axioma.

Matri *devoto* voveas te pectore *toto!*
Semper tutus *eris*, si Matris munera *quaeris*.
Stas animo *fortis* sub diro limine *mortis*,
Virgo Parens *diras* si flectit Numinis *iras*.

Dies 22. Novembris.

St. Caecilia V. M.

Lilia Caeciliae frustra defenderet ales,
Se nisi defendat Virgo pudica prius.
Virgineum corpus custos de nocte tuetur;
Cur opus aligero? nox inimica homini.

Usus gratiae.

Dona Deus tribuit cuicumque, quot indiget ipse,
Ut queat in coeli tutus inire domum.
His bene qui donis ad sanctos utitur actus,
Dignus erit donis pluribus atque novis.
Cum donis operam propriam conjungat oportet,
Nam secus ipsa Deus jam data tollet ei.
Felix omnis erit, quem coeli gratia portat,
Vivens incolumis laetus ad astra petet.
Mira Dei pietas, hominem cum pertrahit ad se,
Terribilis quando deserit ille nimis.

Axioma.

Candorem *tollis* niveum saltatio *mollis*.
Post *visum risum*, post risum venit ad *usum*,
Post usum *tactum*, post tactum venit ad *actum*,
Post actum *factum*, post factum poenitet *actum*.

Dies 23. Novembris.

St. Felicitas Mater cum septem Filiis MM.

Mater io felix, io felicissima martyr;
Bis paris et bina morte perempta cades.

Educatio.

Difficilis res est, assuetos linquere mores;
Ut modo vir graditur, sic iit ante puer.
Crescit ab unguiculis in adultos noxius annos;
Arma puer tractat, tractat et arma senex.
Semine produntur plantae, sic frondibus arbor;
Testa diu primo sic ab odore fragrat
Octipedem videas distortis repere chelis;
Ut fecit mater, sic quoque foetus agit.
Quod videt in senibus puer, hoc sectatur adultus,
A bove majori discit arare minor.
Quam grave munus habet, juvenum qui fingere mores
Suscipit, ostendunt haec memorata satis.

Axioma.

Mater ut incedit, matris soboles quoque *vadunt;*
Non procul a proprio stipite poma *cadunt.*

Dies 24. Novembris.

St. Chrysogonus M.

Aureus est, longeque ipso pretiosior auro,
Si tamen auro aliquid ditius esse potest.
At tua, qui duro fodit praecordia ferro,
Ferreus aut ferro durior ipse fuit.

Patientia in adversis.

Martyr in angustis nobis est forma ferendi
Pro fidei dono fortiter omne malum.
Hunc animum nunquam potuit superare tyrannis;
Haec potius proprio victa pudore fuit.
Quid sibi tanta pati dat et ardua ferre libenter,
Atque bonum vitae sacrificare Deo?
Quippe Redemtorem nequit ipse videre dolentem
In cruce, quin pariter compatiatur ei.
Insuper exspectat cum Christo glorificari,
Cujus in angustis percupit esse comes.
Hic crucifixus amor patientis corda penetrat,
Ut tormenta nihil computet esse mali.
Hunc nutrire stude cordis constanter amorem,
Ut mala nulla tuum cor tribulare queant.

Axioma.

Nullus in *exosam* vitam Sanctis, *otiosam*
Unquam se ire *sinat;* vitii genus omne *saginat.*

Dies 25. Novembris.

St. Catharina V. M.

Una puella stygem, venerem, mundum atque tyrannum,
   Quinque simul decades vicit et illa Sophum.
Palma decora quidem sed non fuit illa cruenta,
   Nam Catharina caret sanguine, lacte fluit.
Lac nisi succiso collo Catharina dedisset,
   Quilibet hanc alias crederet esse virum.
Lac signum in reliquis laesi solet esse pudoris,
   In te servati, Virgo, pudoris erat.

Cives Sanctorum.

Aptae sideribus cives: Sapientia, virtus,
   Utraque stelligeris accipienda plagis.
Sit stabilis virtus, et sit sapientia vera,
   Ne fallat facilem fraus male tecta fidem.
Non aurum, quodcumque nitet, non gemma, quod ardet,
   Quando vitris etiam gemmeus ardor inest.
Et vitium radiare potest virtutis in ostro,
   Et speciem veri fraus simulare boni.
Quae virtus humilis, virtus haec appretianda
   Ille vir est sapiens, qui bene vera petit.

Axioma.

Osa Deo *quae sit*, carnis prudentia *desit!*
Prudentes *spernunt*, hoc quod mutabile *cernunt.*
Qui scit, *laudatur*, qui nescit, *ludificatur*.
Res valet, ars *praestat*, si res perit, ars tibi *restat.*
Scire tamen *sordet*, si crimen pectora *mordet.*

Dies 26. Novembris.

St. Sylvester Abbas C.

Evocat in silvas socios Sylvester, ut essent
In silvis homines; vidit in urbe feras.

Consortia prava vitanda.

Hostes instimulant animarum non bene cautos,
Illiciis variis vertere terga Deo.
Nunc caro, nunc fastus, nunc auri tetra cupido,
Nunc hominem fraudes illaqueare solent.
Imprimis hominum vaga consuetudo malorum
Cordibus innocuis magna pericla parant.
Mox peccator erit, qui cum peccantibus ibit,
Virus enim sceleris putre subinde bibet.
Quomodo mundus erit manibus, qui stercora tangit?
Cum reprobis tractans fit malus ipse bonus.
Atramenta notam manibus labemque remittunt,
A pravis mores induis ipse nigros.
Hinc cave, ne scelerum te foeda coinquinet aura,
Nec cor decipiat fraus inimica tuum.

Axioma.

Vita fluens *rite* coelorum praemia *reddet;*
Quisque suae *vitae* semina jacta *metet.*

Dies 27. Novembris.

St. Virgilius Episcopus Salisburgensis.

Rupertus fundat, sed construit iste cathedram,
  Factaque Virgilius carmine digna facit.

Finis hominis.

Non est in terris homini stabilita perennis,
  Sed manet in coelis clara parata domus.
Hanc sibi virtutum cultu solerte parabit,
  Quandoquidem finem currit adusque suum.
Contra virtutes tamen hostes aggrediuntur,
  Quos per subsidii conterat arma Dei.
Hostes virtutis sunt multi, fortior unus
  Omnibus est: finis non meminisse sui.
Haec aeternarum lethalis inertia rerum,
  Hos tumulat luteis impietatis aquis.
Vivimus in terra, sed cur? ut ad astra levemur,
  Non ut terrestri mens sit operta luto.
Mens est effigies, summae Deitatis imago,
  Est ter adorandi portio parva Dei.
Fortis es et vigila, vigil altos excute somnos,
  Ad coeli patulas ingrediare fores.
Porta patet coeli, sed non patet omnibus illa,
  Sed patet intrepidis non nisi porta viris.

Axioma.

Ut pateat coeli via cunctis, qua sit *eundum*,
De coelis veniens voluit Via visere *mundum*.

Dies 28. Novembris.

St. Stephanus M.

(Adulterii falso a foemina accusatus fuit, quam propria soboles laniat.)

Proh, quibus exierat, laceravit viscera proles;
Vipera non aliter debuit illa mori.

Damna peccati.

Non patitur damnum, nisi qui se laeserit ipse,
Solum peccatum damna creare potest.
A clemente Deo nos separat unica culpa,
Sed Deus est omnis fons et origo boni.
Unde bonum nullum datur a Deitate repulso,
Hic sibi conglomerat vera paritque mala.
In quo peccat homo solito punitur in illo,
Judex et vindex est sibi culpa gravis.
Poena voluptatis comes est, dolor ipsa voluptas,
Impurus numquam gaudia pura tulit.
Cordis pace frui non possunt, quos Deus odit.
Absque bono summo non requiescit homo.

Ergo bonum summum, qui non super omnia quaerit,
 Ambulat in tenebris, in mala cuncta cadens.
Hinc magis horrendum nihil est, quam culpa scelusque,
 Quod rapit omne bonum, sed parit omne malum.

Axioma.

(Detractor.)

Pingit, si *pangit*, nihil et sine vulnere *tangit;*
Si ridet, *radit*, vaeh! sic ad tartara *vadit.*

Dies 29. Novembris.

St. Saturninus Ep. Tolosatinus M.

(Feroci tauro alligatus, per abrupta raptatus necatur.)

Te trahit in praeceps Capitoli e limine taurus;
Ut surgas coelis, membra revulsa jacent.

Tolerantia adversitatum.

Quam fuit ad coelos praeceps iter, ardua callis,
Consita tot spinis atque cruore madens.
Dura nimis sancti fortes tormenta tulerunt,
Nunc Deus in coelis hos sine fine beat.
Aeternae vitae si gaudia magna rependis,
Omnia pro Christo perpetiere lubens.
Talia non poscit Deus, ut cruciamina portes,
Sufficit, ut toleres quotidiana mala.
Sanctus eris, quin, martyr eris, si nomine Christi
Fortiter exantlas laetus iniqua tibi.
Cuncta molesta tibi res cunctas perfer amaras,
Mittit enim Domini provida cuncta manus.
Qualiter ante Deum placuit, sunt omnia facta,
Hinc benedic Domini nomen idemque cole.

Axioma.

In mare sic refluit, velut exit ab aequore *flumen:*
Flumen imago hominis, sic indicat et mare *Numen.*

Dies 30. Novembris.

St. Andreas Ap.

Emit me per te tua crux, dignissime Jesu!
Quam bona crux! reddit te mihi meque tibi.

De Cruce.

Nil agit in physicis in sese fortius umquam,
Et tamen hoc lignum ferrea corda movet.
Ut ferrum magnes, crux mentes attrahit ad se,
Elicit ex oculis ista doloris aquas.
Tristibus haec animis mire solatia praestat;
Qui pugnat certans, arma ministrat ei.
Dux est ista viae, fons est, quo corda rigantur,
Est clavis coeli, pandit ad astra fores.
Lumen habet vitae, Christi vestigia calcans;
Ambulat in tenebris, quisquis abhorret ea.

Axioma.

In cruce sunt *verum* coeli penetralia *rerum:*
Est crux *virtutis* speculum, medicina *salutis;*
Est index *legis*, jus inviolabile *Regis;*
Unica spes *mundi* crux est, terrorque *profundi;*
De cruce fons *manat*, qui cordis vulnera *sanat;*
De cruce lux *lucet*, quae nos ad sidera *ducet.*

Mensis December.

Mortua terra riget, sed vivida vere resurget,
Olim sic iterum quisque resurget homo.

Dives, inops, servus, rex, magnus
pusio princeps



Nascitur in stabulo, regna superna tenens.

Dies 1. Decembris.

St. Eligius Episcopus.

Auri faber fuerat, fuit imo vir aureus ipse;
Hunc quoniam Christus Pontificem statuit.

Spinae divitiarum.

Quid rutilans aurum? nil est nisi lamina fulva,
Quae fuit in terra condita mixta luto.
Virginis ut facies, species sic fascinat auri;
Qui sapit, hinc oculos, continet inde manus.
Quae cum fraude solent quaeri, quae fallere partae,
Fallaces Christus quam bene dixit opes.
Ne mihi divitias, Salomonis verba fuere
Sed quae pro victu sunt opus, illa dabis.

Axiomata.

I.

Cum virtus *durat* semper doctrinaque *rerum;*
Has colit et *curat* mentis prudentia *verum.*

II.

Divitis ecce *viri* parvum discrimen et *iri,*
Ambos mors *tollit,* quam nulla pecunia *mollit;*
Divitis in *pulchro* deponunt ossa *sepulchro,*
Pauperis ossa *viri* sed simplex condit et *iri.*

Dies 2. Decembris.

St. Bibiana V. M.

Auscultant bibuli, longe gula potibus absit;
Ut mihi vita foret, sic Bibiana bibi.

Ebrietas.

Ut Venus enervat vires, sic copia Bacchi
Et tentat gressus, debilitatque pedes.
Pernicies juvenum, mater foecunda malorum,
Est sanae menti foeda putrisque lues.

Cui vae? cui foveae? sine causa vulnera? rixae?
Cui Dominus vinum, cuique taberna domus.
Quod nitet in vitris, in fundo mordet ut anguis;
O quantos morsus, qui vitra tanta bibunt.

Felix est sobrius, qui se restringere curat,
Atque gulae quaerit ponere froena suae.
Inque Patris regno mera dulcia cernet haberi,
Atque propinari vina videbit ibi. (Matth. c. 26 v. 29.)

Axioma.

Non *vinolentis* est coelum sed *violentis;*
Reddunt *delirum* foemina, vina *virum.*

Dies 3. Decembris.

St. Barbara V. M.

Barbara! barbara cur? non barbara, barbarus imo,
Barbaro erat ferior barbariorque pater.
Barbara sancta! precor, si me mors barbara torquet,
Ne sine Pane sacro me patiare mori.

Barbaries moralis.

Effera barbaries Cacodaemonis est famulatus;
Qui servit stygiis, est miserandus homo.
Non honor aut sanguis, non auri copia magna,
Innocui mores nobilitant homines.
Cultus virtutum solum cultura vocetur,
Concomitatur eum gratia sancta Dei.
Affert barbariem cordis corruptio morum;
Aufert omne bonum styx, mala cuncta ferens.

Oratio ad S. Barbaram.

Barbara sancta *Dei*, tu lux speciosa *diei*,
Cum sis sponsa *Dei*, tu memor esto *mei*,
Et me pane *Dei* conforta fine *diei*,
Ne me poena *rei* tangat et ira *Dei!*

Axioma.

Virtutum *cultus* culturae voce *notetur;*
Ast dici *stultus* delinquens corde *meretur*.
Qui bonus, est *prudens*, qui peccat, stultus at *ille*,
Nam vanis *ludens* sibi conflat tristia *mille*.

Dies 4. Decembris.

St. Franciscus Xaverius C.

Et flammam et motum, Francisce, viaeque labores
Et geminus prorsus caetera solis habes.
Surgis in Occiduis, in Eois occidis undis;
Hoc unum Soli te vetat esse parem.

Praedicatio verbi Dei.

Pulchros sacra pedes dicit scriptura docentis,
Qui peragrat terras, semina diva serens;
In fines orbis sonus exit, pectora flectens,
Nam sua verba ipsi Christus in ore dedit.
In lacrimis migrant, mittentes semina sacra,
Mergite tunc facient horrea plena Dei.
Per totum mundum verbi sonus exit eorum,
Donec erit totus mundus ovile Dei.

Axioma.

Quando dies *crescit*, tellus et sole *calescit*,
Pomum *florescit*, seges et foecunda *virescit;*
Munere quando *Dei* lux sanctae clara *diei*
Cordi *lucescit*, mox pectus amore *calescit*,
Omni *florescit* virtute et lumine *crescit.*

Dies 5. Decembris.

St. Sabbas Abbas C.

Urbibus e mediis quamvis fugitivus abesset,
Reddidit urbanas exul ab urbe feras.

Massones.

Quis ferior brutis? quis saxo durior omni?
Quis populis rudior barbariorque feris?
Sunt hostes Christi, qui sectae castra sequuntur
Massonicae, quibus est mens inimica Deo.
Christi discipulis hostilia retia tendunt,
Et laqueis captos ad mala cuncta trahunt.
Verum pervertunt, virtutibus insidiantur,
In cunctis pergit perfida lingua loqui.
Mens inimica Deo cum sit, fundamina sternunt
Justitiae prava fraude dolisque suis.
Bruta domare valent homines, tot facta loquuntur;
Diva manus sectas sola domare valet.

Axioma.

Si vitae *verae* vis gaudia cordis *habere*,
Haec vita *mundi*, quae sunt gula tetra *profundi*.

Dies 6. Decembris.

St. Nicolaus E. M.

Virginitas a te tribus est servata puellis;
Auro servatur, quo peritura fuit.

Declinatio moralis.

Declinare jubet studiosos verba magister,
Doctrinasque simul jungit ad illa pias.
Sicque venustatem linguae moresque reformat,
Utraque sic animo sculpta reposta manent.
Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Et minus ingratus nauseat ipse labor.
Nomine dives eris, si nomen et omen habebis;
Nec parit obliquus casus iniqua tibi.
Si *Genitivus* eris factorum rite bonorum,
Tunc Deus in coelis ipse *Dativus* erit.
Accusativo tua crimina confitearis.
Cumque *Vocativo* dic: miserere mei!
Est nimium crebro nunc *Ablativus* in usu
In pretio rursum, quando *Dativus erit?*
Qui *conjungit* opes, durus *declinat* egentes,
Obvenient ipsi dura *futura* nimis.
Verba: »pius, dives« qui *conjugat* ordine justo,
Conjunctivus erit denique coelicolis.

Personis ternis conjungere cordis amore,
Pluralis fratri, *simplus* inopsque tibi.
Tempus sit praesens praemonstrans fausta *futuri*,
Perfectum caveat cuncta *supina* tuum.

Axioma.

Lucifer ut *false* serpens stygius *vocitatur*,
Quod libeat, *salse* non voce »libido« *vocatur*;
Orci *serpentes* sunt omni luce *carentes*,
Luxuriae *fructus* diri sunt denique *luctus*.

Dies 7. Decembris.

St. Ambrosius Ep.

Ambrosiam veteres potum dixere Deorum;
Terra, sed ecce! dedit dulcius Ambrosium.

Fons salutis.

Verba Dei vitae sunt fons, nil dulcius istis;
Flumen corda rigans profluit ore Dei.
Ambrosium potum, coeli dulcedine plenum,
In coena Domini porrigit ipse Deus.
Quisquis aquae vitae potus haurire peroptat,
Ad fontem verum debet adire Dei.
En limosa palus, permulto turbida coeno,
Gaudia sunt mundi, sunt fugitiva nimis.
Qui bibit impuris lymphas ex fontibus istis,
Mortem, non vitam potat abinde sibi.
Salvatoris aquas laetans ex fontibus hauri,
Si sitias vitae perpetualis aquas.

Axioma.

Fiunt *amentes* aequo plus scire *studentes*;
Qui studet, esse *bonum*, datur huic sapientia *donum*.

Dies 8. Decembris.

Conceptio immaculata B. Mariae V.

In Domina decuit, ne crimen originis esset,
Nam puri Verbi Mater origo fuit

Sententia dogmatica.

Primaevi concepta nites sine labe veneni,
Nec tibi, quae reliquis, turpis origo fuit.
It nullus sine nube dies, nec libera naevis
Lilia, nec maculis sol caret ipse suis:
At tu, Virgo Parens, genialis libera noxae
Sideribus longe purior una micas.
Nos hunc in mundum vitiati nascimur omnes,
Nosque solent naevi commaculare novi:
Vaeh nobis! speculum nisi tu nos virginitatis
Cum Christo clemens conciliare velis.
Nulla manus campum coluit vel scidit aratrum,
Attamen hunc florem protulit ipse Deus.
Haec rosa pulchra nimis prae floribus omnibus una
Camporum Triadi Virgo Maria placet.

Axioma.

En sine labe *fuit* Virgo concepta *Maria*
Ejus lausque *fluit* quolibet ore — *pia.*

Dies 9. Decembris.

St. Nectarius C.

Nectarius, Latia flamen digressus ab urbe,
Divino coeli nectare corda rigat.

De sacra Eucharistia.

Nectar mellifluum sunt sacrae munera mensae;
Corda bonis cunctis imbuit iste cibus.
Divinis epulis non est mel dulcius ullum;
Ut cibus hic nullus cor satiare potest.
Est Christi mortis, saevi memorale doloris,
Certa salus justis, morsque tremenda reis.
Conscia mens recti sumat libamina mensae;
Devitent epulas conscia corda mali!
Judicium mortemque sibi manducat et haurit,
Quisquis ad hanc mensam labe gravatus adit.
Non etenim Domini corpus dijudicat ille,
Et velut ad solitas se putat ire dapes.

Axioma.

Personae *quales*, sermones sint quoque *tales*;
Mendax *audiri* fama pudenda *viri*.

Dies 10. Decembris.

St. Eulalia V. M.

(Nives Virginis sepulchrum tegentes.)

Obduxere locum, quo Virginis ossa jacebant,
Vellera deciduae prodigiosa nivis.
Interitum reliquis nix altera floribus infert,
Nix haec virginei nuntia floris erat.

Virginitas.

En Agnum sequitur non labis conscia virgo;
Psallere nemo potest, quod canit illa melos.
Hortus virgineus perdulces spirat odores;
Est pia sponsa Dei virgo sacrata Deo.

Virgo manere nequit, quae non cavet omne periclum,
Quo sua virginitas forte perire queat.
Non certans vincet, victrix fuga sola manebit.
Sis prudens, vigilans dilige stare domi.
Namque venena spuunt veluti basiliscus iniqui,
Unde loquente malum stabis ab ore procul.

Axioma.

Si niveum *florem*, si vis servare *pudorem*,
Devitato *forum*, foemineumque *chorum*.

Dies 11. Decembris.

St. Juvenis Aegyptiacus M.

(Argenteo loculo inclusus, oleum sudat.)

Martyr odoriferum post funera sudat olivum,
Ut Christi Athletam scilicet esse scias.

Via ad coelos.

Purpureos proceres via quae perduxit ad astra,
Martyrio passos, sanguinolenta fuit.
Est via, nos ducens ad coelos, consita spinis,
Non facilis, praeceps, ardua neve frequens.
Est via lata, frequens, facilis, quae ducit ad orcum,
Invenit hoc etiam se duce coecus iter.
No rapiunt coelos, nisi plurima dura ferentes;
Crede mihi, non est absque labore quies.
Contemplare Dei regnum tunc concupis illud,
Et recta tendes illud inire via.
Non labor est durus, nec longum tempus et hora,
Si coeli lucrum denique finis erit.

Axioma.

Quid nisi *ver pver*, est nisi *ventus* fluxa *juventus*,
Vix adoles*cens* ens, *nex* sua pene *senex*.
Vita *brevis*, velut umbra *levis*, sic *annihilatur*.
Si post fata tibi, vaeh tibi! poena *datur*.

Dies 12. Decembris.

St. Orestes M.

Magnus in ignito lecto religatur Orestes;
Quid facit? obdormit suaviter in Domino.

Mors et somnus.

Est consanguineus leti sopor, est et imago,
Ut dicunt homines, corpus uterque ligat.
»In Domino obdormit«, de quovis dicitur inde,
Qui pius ad superos tempore mortis abit.
Quid juvat horribili sub larva inducere mortem?
Talis erit, qualem vita peracta dabit.
Conscia mens recti tibi dulcia somnia gignit;
Innocuo culpae mors tibi dulcis erit.
Mors est perpetuus somnus, resolutio rerum,
Horror divitibus, pauperibusque salus.
Est iter incertum, fuga vitae non rediturae,
Fur hominum, nulli tempus et hora patet.

Axioma.

Est ad coela *ratis* mors, est et vita *beatis*.
Cum vitae *finis* venit horis saepe *inopinis*,
Vive Deo *gratus*, toto mundo *tumulatus*,
Pectore *pacatus*, semper transire *paratus*!

Dies 13. Decembris.

I.

St. Lucia V. M.

Non potuere boves te, Lucia, mille movere ;
Unus qui moveat, qui trahat, Agnus erit.

II.

St. Gregor Presbyter M.

Ignea Gregorium torret craticula, tortor
Est coquus; hae superis civibus assa placent.

Amor.

Ut ferrum magnes, ut avarum lamina fulva,
Ut culices lumen, floridus hortus apes:
Sic trahit et cor amor, comburens intima cordis;
Pectus demulcens, omnia vincit amor.
Corda beat divus, vitiat cor Cypridis ignis;
Vis fieri felix, dilige corde Deum.
Mancipium vultum domini timet atque perhorret,
Auro conductus vult sibi lucra dari;
Audit discipulus doctrinae verba magistri,
Filius erga patrem se reverenter habet,

Quem tamen urit amor, non liber percupit esse,
Non vult mercedem, praemia nulla cupit,
Sed quaerit dominum, patrem vult atque magistrum,
Ergo Deum solum, quaerit et optat amans.

Axioma.

Est cor *devotum*, nullo stat tempore *motum;*
Si mens vilis *erit*, mox vana et noxia *quaerit*,
Et levis in *mundo* fragilis stat sicut *arundo.*

Dies 14. Decembris.

St. Agnellus Abbas.

(Infans trimestris cum esset, concinuit salutationem B. Virgini.)

Vix ierant, Agnelle, tibi tres ordine menses,
Dulce salutata Virgine dicis »ave«.
Sic tener in teneris vix natus ovilibus agnus
Matrem balanti voce salutat ovem.

Lingua.

Noscis voce feras, cantu cognoscitur ales;
Se sapiens prodit stultus et ore suo.
Vocem nulla potest ars sculpere, pingere nulla,
Sola repercussos exprimit Echo sonos.
Vox mala corde malo divinam concitat iram;
In coelis resonat vox pia corde pio.
Nil melius lingua, lingua nil pejus eadem,
Tristia cum dulci toxica melle gerit.
Si valvas aperis thermarum saepe foresque,
Mox calefacta prius frigida fiet aqua.
Si nimis os aperis crebro loquerisque frequenter,
Tunc calor ex animo mox pietatis abit.

Axioma.

Qui multum *fatur*, stultissimus esse *probatur*;
Credunt *prudentem*, quem spectant esse *silentem*.

Dies 15. Decembris.

St. Christina Ancilla.

(In ejus vili lectulo aegrota Hispaniae regina convaluit.)

Morbus abit, simul ac tetigit servile grabatum,
Princeps Attalico quae fuit aegra toro.
Suetus in aurata longum requiescere sponda,
Fugit ut in vili se videt esse toro.

De morbo.

Saepius est morbus perverso causa salutis;
Convalet ipse animo, languida membra gerens.
Incipit esse memor, morbi cruciatibus ustus,
Quam perversa nimis vita peracta fuit.
Gratia magna Dei, si morbus visitat istum,
Qui sanus nunquam vult memor esse Dei.
Castigat Dominus natum, quem suscipit, anne
Exceptus solus forsitan esse voles?
Non eris in coetu natorum connumeratus,
Si vis a virgis verbera nulla pati.

Axioma.

Somnus longus *obest*, breviorem carpere *prodest*,
Sitque dicata *Dei* causae pars prima *diei*.

Dies 16. Decembris.

Ananias, Azarias, Misael.

Dum pueris parcit, meritos dum saevit in hostes,
Non fuit in pueris sensus, in igne fuit.

Sententia moralis.

Illum, crede mihi, non ignis aduret averni,
Cujus divinus pectus adurit amor.
Si cor amat fastum, cor flamma libidinis urit,
Auri corda fames si furiosa tenet,
Invidiae flammis si fumant saucia corda,
Aut odii mentes concremat ira parens:
Ignis perpetui sunt hae praesagia flammae;
Hae mentes Christi semper amore carent.
Unit amor, recreat, tollitque facitque modestum,
Vulnerat et sanat, comprimit atque levat.
Praestans est et magna fides, amor altior illa,
Spes est insignis sed magis altus amor.
Quidquid habes, nihil est, si non cor amore repletur,
Si reliquis careas, omnia supplet amor.

Axioma.

Si cor vim *pendit*, si daemon retia *tendit*,
Flammis *indignis* tentatque libidinis *ignis*,
Cor manet *illaesum*, quod amat ferventer *Jesum;*
Non ardens *nutat*, quod diva potentia *tutat.*

Dies 17. Decembris.

St. Lazarus, E. M.

Lazarus in lacera navis maris effugis iras,
O lacerae navis, Lazare, nauta novus.

Vita christiana.

Navis, homo; mare, vita; fides est clavus in undis;
Anchora, spes; amor est carbasus; aura, Deus;
Strenuitas, remi; virgo, cynosura; saburra
Mens humilis; coeli regia portus erit.
Divinae impellunt animae tua lintea; remis
Utere: te sursum remus et aura feret.
Ille maris tutus per vitae navigat undas,
Quem velut in gremio gratia sancta vehit.
Turbo nocet nullus tempestatisque procella,
Si manus excelsi remigat ipsa Dei.

Axioma.

Qui cursor *metas*, oras qui navita *laetas*,
Qui finem *tangit*, qui vincens agmina *frangit*,
Qui victor *fortis* stygis est et tempore *mortis*:
Salvus erit; *palmam* victrix manus obtinet *almam*.

Dies 18. Decembris.

St. Modestus Hierosolymitanus Patriarcha.

(Germana Modestiae soboles.)

Si qua olim peperit foecunda Modestia prolem,
Aut nulla aut proles illa Modestus erit.

Modestia.

Omnes delectat praeclara modestia vultus;
Nullus amat, quiqui turgida corda gerunt.
Servat inoffensam divina modestia vocem;
Offensor fratris saepe superbus erit.
Nulli sis blandus, sed verus et omnibus aequus;
Vox clamore vacet, sit sine lite sonus.
Justos ferventi fortique modestia fines
Ponit, ut omne bonum nobilitetur opus;
Efficit haec modicos, moderatos, morigerosque,
Prudentes, parcos, roborat ipsa pios;
Effrenes mores, animosque coercet iniquos,
Affectus sanctos nutrit eosque fovet;
Castigat reprobos, deletque libidinis ignem,
Accendit tepidos, nec sinit esse pigros.

Axioma.

Prata ornant *flores*, praeclara modestia *mores*,
Haec mulcet *mentes*, odio sunt corde *tumentes*.

Dies 19. Decembris.

St. Megengor Geldriae Comes C.

(Amisso, quem unicum habebat, filio, se suaque Christo consecrat.)

En, praereptus ubi est fatis patris unicus haeres,
Haeredem ex toto destinat esse Deum.

Cor Deo unitum.

Felix, corde Deo qui sese devovet omni;
Christum corde tenens possidet omne simul.
Consona quando tuae conspirat diva voluntas,
Fit, quae vis, simul et proficit omne tibi.
Si quidquid rarum, carum, pretiumque meretur,
Crede mihi, res est vir pretiosa bonus.
Quando voluntati divinae nostra cohaeret,
Incoeptum nostrum sospitat omne Deus.
Namque Deo placitam sic vitam ducimus, in qua
Cuncta Deus nobis prosperat atque fovet.
Quidquid eum petimus, nobis largitur, eodem,
Quo facimus, quidquid postulat ipse, modo.
Haec est vita dein cordis dulcedine plena,
Praegustans regni gaudia magna Dei.

Axioma.

Omnibus in *rebus* pietas cunctisque *diebus*
Proficit: est *quivis* coeli testatio *civis*.

Dies 20. Decembris.

St. Memmius Ep. Catalaunensis M.

(Saxis obruitur.)

Memmius Antistes dum saxea numina ridet,
Saxorum immissa grandine pene perit.
At licet armata populus gerat aspera dextra,
Asperiora tamen pectore saxa gerit.

Avaritia.

Valde sunt similes sibi numina ficta colentes,
Et quiqui nummos numinis instar habent.
Ex saxis sculpsit sculptor simulacra deorum,
Auri dira fames saxea corda creat.
Ut sua dona litans simulacris ethnicus offert
Omnia sic nummis saeva cupido litat.
Quid tibi si gemmas omnes cumularis et aurum,
Si tua tartareis mens cruciatur aquis? —
Turpis avaritiae soboles sunt: Irrequieta
Vita, dolus, fraudes, laesio justitiae;
Proditio fratris, perjuria, sensus amoris
Stirpitus extinctus, duritiesque ferox.

Axioma.

Ne cor sit, *cura*, res, ut lapis, aspera *dura*,
Quod monstrum *gentes* sunt saxea corda *ferentes*.

Dies 21. Decembris.

St. Thomas Ap.

(Lancea confossus.)

Huc infer digitum! Thomae olim dixit Jesus;
Nunc Thomas Christo dicere possit idem.

Fides.

Res est magna fides, res est praeclara salutis,
Non est ficta sed est vita probata fides.
Si carpit, carpit Jesus incredulitatem,
Si laudat, laudat, jugiter ipse fidem.
Si runcat, runcat vellens incredulitatem,
Si plantat, plantat naviter illa fidem.
Si colit, et nutrit, rigat et depurat in horto,
Sunt frutices fidei, quos colit, ornat, aquat.
Est incredulitas tellus sabulonis ad instar,
Quae licet imbre madens, fertilis esse nequit.
O praeclara fides! o fructibus arbor onusta!
Sint animae fructus vita salusque meae!
Haec in corde meo sit consita planta venusta,
Haec sit frugifero rore rigata Dei.

Axioma.

Si socius *Christi* vivus quoque dura *tulisti*,
Ocius et *socius*, dum *morieris*, *eris*.

Dies 22. Decembris.

St. Eugenia V.

(In veste virili silvae incola.)

Quam pudor Eugeniae carus! quam callida virtus!
Vir fit, ut effugiat virgo pudica virum.

Spinae matrimonii.

Multa trahunt post se sociales taedia taedae;
Rarus et est, qualis non sit amarus amor.
Divisum cor habet cum conjuge foemina conjux,
Unum cum Domino virgo cor una suo.
Foemina molle genus, turpes proclivis ad actus,
Ni fuga sit custos, ni pudor atque metus.
Vincula conjugii bona sunt, sed vincla manebunt,
Cor tamen amborum conjuget unus amor.
Vir non est dominus sed conjugis ipse maritus,
Serva nec est conjux, mancipiumque viri.
Imbecille genus vir debet amore tueri,
Nec tamquam durus conjugis esse herus.
Pax et castus amor sint ornamenta, domusque
Nullius vitii sit maculata luto.

Axioma.

Si ratio *cedit*, dum cor lascivia *laedit*,
Stulti sunt *multi*, *mentes* pauci *sapientes*.

Dies 23. Decembris.

Adam et Eva Protoparentes.

Esse Diis similes nostri voluere Parentes,
 Hinc vetitis ausi pascere labra cibis.
Proh dolor! est morsum mors dira secuta malignum;
 Fiant dissimiles, non ita Dis similes.

Sententiae.

1.

Quis *mala* non videat *malo* quae nata comesto,
 Si primum *morsu* mors fuit Eva tuo.

2.

Sub specie plerumque *boni* nos fallimur; Eva
 Sub specie *mali* quomodo capta fuit?

3.

Posteritas, lapsu primorum disce parentum:
 Insidiis nullum qui caret esse locum,
Nam non solus Adam lugubria damna subivit,
 Quae tulit in ramis noxia planta suis;
Hujus peccati pestis teterrima totum
 Lethifera mundum polluit illuvie.

Corpora mors animasque simul penetravit in omnes,
Quotquot adamiticus putridus humor alit.
Quot mala pestilitas haec mundo protulit, horrens
Cernit homo, sed mens nulla creata capit.

Axioma.

Eva parit *luctum*, dum sumit ab arbore *fructum*;
Aufert sed *luctus* pendens crucis arbore *fructus*.

Dies 24. Decembris.

St. Anastasia V. M.

Corpus Ανα-στασιας necat ignis Virginis, ut sic
Ad coelos coelis Virgo renata volet.

Applicatio moralis.

Carnis ανα-στασις est mors sternens omnia falce
Ex somno vitae mors et ανα-στασις est.
Si non ex vitiis praecedit ανα-στασις ante,
Haec mors perpetuae janua mortis erit.
Praeter virtutem nihil immortale tenemus,
Mens manet et virtus, caetera mortis erunt.
Si sapis, utaris totis virtute diebus,
Extremumque tibi semper adesse putes.
Virtus est fortis, vim quamlibet arcet amoris
Et neque mortis eam vis superare valet.
In luctus horis et noctis ridet et offert,
Nil sibi conservans optima quaeque Deo.
Virtus atque fides sunt ad coelestia claves,
Qui caret his, illuc nemo venire potest.

Axioma.

Ut surgas *coelis*, neonatus morte, *fidelis*,
Omni vitae *hora* Christo servire *labora*,
Atque fide *pura* te Christo subdere *cura*.

Dies 25. Decembris.

Nativitas D. N. Jesu Christi.

I.

Errantes dum quaerit oves per devia Pastor,
Et stabulum, stabuli rudera jure petit.

II.

Elegit media nasci de nocte Redemptor,
Ut lux in tenebris clarior orta foret.

III.

Visus erat nunquam major Natalis in orbe;
Natalis raro visus in orbe minor.

Applicatio moralis.

Ne fuge, neve time, Christus non fronte minatur,
Non punire venit sed medicare reum.
Nec dic sicut Adam: tua vox me terret et angit,
Vagit enim lingua nulla loquente puer.
Nubibus in coeli nimio terrore replebit
Omnia, quae vivunt, voce potente sua.
In stabulo puerum timeas tua crimina flentem,
Ne timeas, judex, cum rediturus erit.

Axiomata.

I.

Ecce dies *magnus*, nobis apparuit *Agnus*.
Quo fuit omne *satum*, spectamus Virgine *Natum*.
Volvitur in *pannis*, qui nullis clauditur *annis*.

II.

Omnibus hoc *laetum* reserat genitale *secretum;*
Flos edit *florem* gignitque creata *Satorem;*
Virgo parit *lumen*, Soboles de Numine *Numen*.
Visere *dignatus* nos est sine semine *Natus*.

Dies 26. Decembris.

St. Stephanus Protomartyr.

I.

Vim patitur coelum, monstras id morte peremptus;
Portae ejus lapidum vi patuere tibi.

II.

Opprimit excussis Stephanum gens impia saxis,
Ut lapis et fidei prima columna foret.

Solertia vitae.

Absque labore quies, sine pugna laurea nulla,
Et male certanti nulla corona datur.
Solus arans agrum solers et semina spargens,
Largiter excipiet grana, locanda domi.
Si juvenes curant studiis intendere mentes,
Certo dantur eis gloria, laus et honor.
Mandere qui panem jubet in sudore diurnum,
Non dabit aeternas absque labore dapes.
Uno tentatur solers a daemone tantum,
Innumeri pigrum sollicitare solent.
Si tamen impendis vires ad corporis actus,
Ne velis excelsi non memor esse Dei.

Axioma.

Hostibus absque *mora* mox condonare *lobora!*
Ignoscit *menti* pariter Deus et *miserenti.*

Dies 27. Decembris.

St. Joannes Apostolus.

In nido turtur, passer sub tegmine tecti,
  Lilia sub phoebo, rore hilarescit ager.
Sentit et haec recubans in Christi corde Joannes;
  Verbi delicium sumit ab ore Dei.

Amor Christi.

Si quis amat Christum, pax est in corde serena;
  Felix in Christi corde quiescit amans.
Deliciae coeli sunt sancto condita corde;
  Christi corde fluit, quod beat omne bonum.
Cor riget et torpet, nisi Christi flagret amore,
  Est velut a gemma concha relicta sua.
Crede mihi redamare Deum non ardua res est,
  Imo permultis est cumulata bonis.
Hic nam praedulcis non pacis laurus hebescet
  Laetitiaeque modus non erit ullus ibi.

Axiomata.

I.

Omnis homo in *mundo* fragilis stat sicut *arundo;*
Cor Christo *nixum* cuncto stat tempore *fixum.*

II.

Prudentes *mentes* sunt, quae sunt aequa *petentes,*
Et quae sunt, *gentes* quae servant, jura *tenentes.*

Dies 28. Decembris.

Ss. Innocentes.

Lilia materno nuper candentia lacte
Purpureas sanguis vos facit esse rosas.
Fama olim fuerat, flores e sanguine nasci,
Nascitur ex ipsis floribus ecce cruor.

Adolescentia.

Virtutum flores si florida procreat aetas,
Hac horto nullus pulchrior esse potest.
Hoc vetus et verax est inter adagia: Perget
Hanc senior, cepit quam puer, ire viam.
Moribus effusis juvenis, qui caecus adhaeret,
Se servire Deo, quando senescit, ait,
Aurum dat satanae, Domino rubigo manebit,
Dat satanae gemmas, ostrea cassa Deo.
Datque rosas vernas satanae, Dominoque vetustas,
Grana satan recipit, sed paleata Deus.
Attamen est aetas juveni non certa senilis,
Ut queat amissos tot reparare dies.
Hinc aeterna sibi damnatio certior, ante
Quam mens ad melius regrediatur, erit.

Axioma.

Innocuae *mentes*, quam bellae, labe *carentes*,
Ut nivei *flores* spirant virtutis *odores*.

Dies 29. Decembris.

St. Thomas Ep. Cantuariensis M.

Ante suas moritur, quibus ante litaverat, aras,
Hostia jam factus, qui modo flamma fuit.

Timor Domini.

Tristia ne timeas in vitae vespere, mane
A primo Dominum disce timere tuum.
Principium Sophiae Domini timor, optimus ille
Est, cujus soboles vera, timoris, amor.
Felix qui lapsu timet a quocunque, ruinam
Spernit cor durum praecipitatque suam.
Non metuens homines, timeas offendere Numen;
Hic timor est sanus, fonsque salutis erit.
Ad majestatem Domini trepidare supremi,
Optimus est sensus, quemlibet ille decet.
Servilis timor est hominum, Dominique solutus,
Ille timet rabiens, hunc comitatur amor.
Felleus est hominum timor, et super omnia dulcis
Ille Dei, recreans pacificansque timor.

Axioma.

Qui timidae *mentis* minitantia verba *potentis*,
Non metuit *legis* summi judicia *Regis*,
Judex si *instabit*, Rex hunc novisse *negabit*.

Dies 30. Decembris.

St. Columba V. M.

Quis mihi candidulae pennas dat habere columbae,
Ut super astra comes, quo volat illa, volem?

Prudentia christiana.

Esto, Christus ait, simplex ut blanda columba,
Sed simul ut serpens callidus esse stude.
Quas odium nullum, nec felleus inquinat ardor,
Has imitans cordis mitis et esse velis,
Accipitrem fugiunt vigiles trepidantibus alis,
Accipitres animae tu quoque macte fuge.
Auxilium divum pete, quando pericla minantur,
Ventis exortis ut petit illa domum.
Imodicus zelus, cui non prudentia lux est,
Mox animam penitus ducet ad interitum.
Dux est et morum prudentia clara magistra,
Quae motus animae dirigit atque sedat.
Virtus non virtus est, si prudentia desit
In vitium potius vertitur atque perit.

Axioma.

Non Veneris *cultus*, facies nec lucida *vultus*,
Nec species *mentem* seducat vana *colentem;*
Hoc perit absque *mora*, si mortis devenit *hora.*

Dies 31. Decembris.

St. Sylvester Papa.

I.

Hortum non patitur divus silvescere Christi,
Urticas vellit, semina laeta jacit.
Hinc sylvestre nihil totus Sylvester habebas;
Solum Sylvestri nomen inane tibi.

II.

Hic dedit idolis finem, finemque dat anno;
Si finem sectis haereticisque daret!

Temporis pretium.

Si menses anni, series si longa dierum
Transiit in vanis, transiit absque Deo,
Vaeh nobis miseris! est irreparabile damnum,
Nam transacta dies nulla redire potest.
Est re terrestri tempus pretiosius omni,
Hoc pretio coeli gaudia dant superi.
Ut sapias, tempus redimas, cita labitur hora;
Ultima cum forsan prima sit hora tibi.

Axioma.

Fac, lege, disce, *ora*, cum nil pretiosius *hora!*
Vaeh tibi! si *vanis* annus defluxit *inanis.*
Damna dolent *rerum*, cur non et damna *dierum?*

Supplementum.

Festa mobilia anni.

Resurrectio D. N. Jesu Christi.

Contremuit nuper rea Jesu mortis in hora,
Prosilit exultans terra redemta modo.
Spiritus ascendens Jesu de mortis abyssis
Induit extractas corporis exuvias.
Et redivivus adest, vivusque sepulchra relinquit;
Mors, scelus, infernus, cuncta subacta jacent.

Cur surrexit Christus a mortuis?

Sic ea, quae Christus, quae praedixere Prophetae,
Sunt complementum singula nacta suum.
Sic Deitas Jesu divinaque missio cunctis
Et doctrina beans indubitata patet.
Sic firmata fuit spes, corpora surgere nostra,
Ut queat in Jesu vivere totus homo.
Sic accensus amor, quis enim non diligat illum,
Cujus erat totus morte redemtus homo?

Axioma.

Qui sunt *prudentes*, vivi de crimine *mentes*
Assidui *purgant*, ut mundi fine *resurgant*
Ad vitam *coeli*, veniet quae certa *fideli*.

Ascensio D. N. J. Christi.

Quadraginta dies, postquam de morte revixit,
  Fertur in aeterni regna beata Patris,
Et propria virtute sua conscendit ad astra,
  Justorum claro concomitante choro.
Et superum resonant per totum jubila coelum,
  Et Sanctus, Sanctus, Sanctus! Hosanna! canunt.

Applicatio.

Tum Pater in dextris Ipsum locat atque regendi
  Imperium summum tradit ubique suum,
Accipit ut victor mortisque stygisque coronam,
  Ornabitque suum splendor honorque caput.
Et reserans coelum, nobis habitacula condit,
  Sic ubi Pastor erit, grex ibi salvus erit.

Axioma.

Ad res, quae *sursum* super aethera, dirige *cursum;*
Sit patrius *fundus* tibi coelum, non tibi *mundus.*

Festum Pentecostes.

A Patre promissus cum Spiritus exiit astris,
Illi linguarum flammea forma fuit.
Verbum nempe Dei linguas, homo postulat ignes;
Lingua docet, cordis solvitur igne gelu.
Huic quoque Spiritui linguae reddantur et ignes:
Perpetuae grates, gloria, laus et amor.

Doctrina christiana.

Tertia Spiritus est Triadis persona Deusque
Verus, uti Deus est, Filius atque Pater.
Spiritus ex utroque simul procedit ab aevo,
Est simul aequalis totus in esse Deo.
Sanctificatoris colitur sub nomine nostri,
Nos variisque solet sanctificare modis.
Luce sua mentem replet, cor dulciter urget,
Ut sciat et faciat cognita jussa Dei;
Spiritus ecce tibi septena charismata donat,
Queis tibi vita levis, mors tibi dulcis erit.

Axioma.

Quae Christus *dixit*, Paracletus dogmata *fixit*.
Credenti *vitae* sint semper regula *rite*.
Quod verum *nunquam*, non esse et desinit *unquam;*
Est et, quod *verum*, verum sine fine *dierum*.
Sunt odio *mentes* Dominoque dolosa *loquentes*.

Festum SS. Trinitatis.

Ter veneranda Trias, quae Numen conficis unum;
Trini perfecti gloria sola tua est.

Doctrina christiana.

Spiritus esto Deus, simplex aeternus et unus,
Ternas personas attamen esse scias.
Prima Deus persona Pater, Genitusque secunda,
Tertia Spiritus est sanctus, itemque Deus.
Ternae personae Trinitas sanctissima junctim
Dicuntur, nobis corde colenda pio.
Cultu divino veneratur quaelibet, atque
Supremo soli conveniente Deo.
Nec minor est Genitus Patre, sed nec Spiritus, inde
Unus non alii quomodocunque subest.
Par Genitor Genito, nec binis Spiritus impar,
Spirituique pares Filius atque Pater.
Distinguique docent, quando procedere dicunt
Doctores unam scilicet ex alia.
Ingenitus Pater est et principium Deitatis
Fons et origo Trini, quo fluit Esse Dei.
Filius aeternis a saeclis est generatus
Miris nempe modis a Genitore Deo.
Spiritus ex utroque simul procedit ab aevo
Aeterno, sic est verus et ipse Deus.

Axioma.

Sub Triadis *cura* viget Esse, Peracta, *Futura;*
Nobis omne *bonum* fluit et de Numine *donum.*
Cor Triadis *totum* nostrum sit amabile *votum!*

Festum Corporis Christi.

Instituit Christus venerabile Sacramentum
Altaris, quando coena suprema fuit.
Adsidet ad mensam cum turba discipulorum,
Plenus amore parans condere Pascha novum:
1. Ut memorata foret sua passio morsque per aevum,
Perpetuumque suis sit memorale sui.
2. Ut satures animae pretiosa carne fideles
Ad vitam veram perpetuamque forent.

Fructus mortis et vitae.

Esca dedit lethum, melior dedit esca salutem;
Sic genus humanum semper inescat amor.
Primus homo appositis iniit convivia pomis,
Non bene, nam fructus mensa secunda petit.
Apposuit carnem mensae Deus ipse secundae;
Scilicet hic fructus de cruce lectus erat.
Primus Adam fructu simul et periere nepotes;
Hos propria reficit carne secundus Adam.

Axioma.

Ut gaudens *vescas*, dedit Ipse timentibus *escas;*
Est cibus ipse *dator*, Rex clemens et *miserator*.
Ut memor esse *velis*, facit hoc, qui corde *fidelis*
Agnum *quaesivit*, qui coecus devus *ivit.*
Ad mensam *vivae* vescentes sunt ut *olivae*,
Quae fructus *praestant*, qui post et saecula *restant.*

Index rerum,

quae continentur in hoc libro.

Pagina

Januarius.

Martius.

Aprilis.

Majus.

September.

Pagina

November.

Festa mobilia.

Index alphabeticus

Sanctorum.